Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Lorenz Reinhard

Institvtiones Theologiæ Dogmaticæ

Editio Tertia Avctior, Lipsiæ Et Vinariæ: Apvd Sig. Henr. Hofmannvm, 1743

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857208587

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

VIII. 3099 1.2
Theol. 98. 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857208587/phys_0002
DFG

INSTITVTIONES

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ,

EX MANDATO

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

ERNESTI AVGVSTI,

DVCIS SAXONIÆ VINAR. ET ISENACENSIS,

CONSRIPTÆ, ET

CVM PRÆFATIONE

IO. GEORGII VVEBERI,

SVPREMI CONSIL. ECCLES. ET CONCION. AVLICI, ITEMQVE SVPERINTEND. GENERALIS,

EDITÆ A

LAVRENTIO REINHARDO,

S. S. THEOL. DOCTORE ET P. P. AC V. D. M.

EDITO TERTIA AVCTIOR.



LIPSIÆ ET VINARIÆ,

APVD SIG. HENR. HOFMANNVM, BIBLIOP.

A. R. G. MDCCXLIII.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857208587/phys_0005

DFG

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
ERNESTO AVGVSTO,
DVCI SAXONIÆ,
JVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ
ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THVRINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPALIS DIGNITATIS COMITI HENNEBERGIÆ, COMITI MARCÆ
ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ
RAVENSTEINII,
SACRATISSIMI OLIM ROM. IMPER.
CAROLI VI. EQVESTRIS MILITIÆ DVCI, BINARVMQVE LEGIONVM CHILIARCHÆ,
ORDINIS EQVITVM VIGILANTIÆ CONDITORI ET MAGISTRO,

academiæ Jenensis
Rectori Magnificentissimo,
Principi magnanimo,
forti, justo, benigno,
Patri patriæ
longe clementissimo,
qvævis faustissima
pie precatur,
& tum
pædagogiam rationis ad evangelium
tum primam partem
Theologiæ Theticæ Revelatæ
demississimo animi cultu
eidem dedicat & consecrat

TANTI PRINCIPIS
NVMINI

dicatissimus & subiectissimus

AVCTOR.

LECTORI PIO

S. P. D.

D. LAVRENTIVS REINHARDVS.



Institutionum Theologiæ Dogmaticæ, *ante hos novem annos a me editarum*, tertia *nunc prodit* editio, *compluribus in locis aucta necessariis observationibus*. Definitiones *probatissimorum theologorum passim retinui, cum tenax, qua præditus sum, memoria sæpius ipsa aliorum verba mihi suppeditaverit*, *e. g.* Gerhardorum, Calovii, Scherzeri, Schmidiorum, Musæi, Bechmanni, Baieri, Breithaupti, Lœscherorum, Fœrtschii (*præceptoris mei intimi*), Fechtii, Hollazii, Langii, *aliorumque*. *Pædagogiam rationis ad evangelium præmisi, seu pædagogicam naturalis theologiæ epitomen & uberiorem doctrinæ* de religione in genere *illustrationem: ac* de articulis fidei *speciatim exposui.*

In ipso opere veritatis, pietatis, & pacis studium ubique manifestavi, optimosque subinde laudavi scriptores. Orthodoxiam amo pietatis genitricem, & moderationi theologicæ *studeo.* Vere orthodoxos *colo atque honoro*: hæretifices *sperno atque contemno*: temerarios *in sanctissima disciplina* novatores *odio prosequor atque devito*: *ratione sana utor, non abutor*: *clarissimis sacri codicis effatis nitor*: sectarios *sputa hominum lambentes tolerandos esse nego. Vt paucis multa dicam*: *si gloriam* cordati & candidi theologi *reportavero, sat magna præmia me adeptum esse putabo. Vale. Scripsi Vinariæ Calendis Decembris A. R. G. MDCCXLII. anno ætatis meæ XLIV.*

MAGNI-

MAGNIFICI VIRI,

JO. GEORGII VVEBERI,

GENERALIS THEOLOGORVM VINARIENSIVM PRÆSVLIS,

PRÆFATIO,

PRIMÆ EDITIONI PRÆMISSA.

DE METHODO TRACTANDI THEOLOGIAM APODICTICA.

§. I.

Ordinem quarumlibet rerum omnem esse rationem & animam, nemo facile ibit inficias, nisi omnem humanæ rationis sensum inficiari velit. Quemadmodum lapides, lateres, ligna & tegulæ inordinate quidem projecta, ad nihil utilia sunt: cum vero ordinantur deorsum & sursum, ut neque putrefiant neque fluant lapi-

des, lateres quoque cum lignis attigno compareant ordine, domus bene exstructa existit*: ita variarum scientiarum veritates ac conclusiones hinc inde dispersæ parum adferunt utilitatis; cum vero ordine proponuntur, ut neque sine causarum evolutione, neque sine mediorum explicatione, neque sine finis adplicatione tractentur, methodicum eruditionis corpus producitur, ex quo non solum memoriæ adjuvandæ lumen adfertur præsentissimum, sed etiam, omnium rerum formas aptissimis rationibus esse compositas, facile deprehendimus.

* Commodata nobis dedit hæc verba paucis mutatis Xenophon L. 1. de dictis & factis Socratis, ubi ad ordinationes bellicas adplicantur.

§. II. In ipsis tractationibus theologicis, capita religionis per scripturam sa-

sacram dispersa, sine attemperato ordine felici successu non proponuntur. Licet enim causas sanctissimas habuerit Spiritus Sanctus, cur plerosque libros Biblicos populari differendi genere, nec observato certo dogmatum ordine, exarari fecerit; nobis tamen libertatem haud ademit, diversos tignos, lapides, & tegulas in ædificium ordinatum congerendi, hoc est, diversas theses, positiones & conclusiones divinarum veritatum in unum systema methodicum conferendi, aut, si ab aliis id factum fuerit, illorum opera feliciter utendi, ne in probrosam distinctissimorum articulorum fidei confusionem cum quibusdam asceticis scriptoribus *, uti vocantur, qui liberiori methodo, vitæ magis, quam doctrinæ adcommodata, theologiam tractare, ejusdemque cultores sine omni ordinis observatione ad solam Bibliorum sacro-

rum lectionem ablegare solent, minus feliciter labamur.

* Ab Ascitis, qui inter veteres hæreticos locum habent apud Epiphanium Hær. LXII. quod quidem inique factum esse putat *Phil. Jac. Hartmannus* de rebus gestis Christianorum sub Apostolis C. XXII. p. 554. probe discernendi sunt Ascetæ, primum in monasteriis sese mancipantes variis exercitiis, ad studium pietatis traductis, & deinde liberiori methodo veritates divinas ita pertractantes, ut potius vanæ eruditioni & eloquentiæ, quam veritati, genuina pietate conjunctæ, serviant. Conf. præter *Joseph. Bingham* in Orig. s. Antiquit. Eccl. Vol. III. l. VII. c. l. §. 1. seqq. b. *Buddeum* Instit. Theol. Mor. Proleg. §. XXV. p. 16. seqq.

§. III. His ita se habentibus facilius supersedemus laboriosa illorum recensione & refutatione, quibus adhuc tralatitium est, systemata theologica non aliter ac otiosorum hominum otiosa traducere opera, ad alendas

das sectas inventa, quæ de pietate nihil in se contineant, sed rixis & altercationibus Scholasticorum adhuc gliscentibus ligna substruant*; cum συστημα vi vocis nihil aliud sit, quam constitutio aliqua vel coagmentatio plurium rerum in certum ordinem redactarum**, quem tractandi theologiam ordinem jam in antiquitate *Clemens Alexandrinus* Stromata, *Origenes* περὶ ἀρχῶν, *Lactantius* Institutiones, *Augustinus* doctrinam Christianam, *Damascenus* Orthodoxam Fidem, & post reformationis tempora *Melanchthon*, *Chemnitius* & *Gerhardus* Locos Theologicos, *Reineccius* Panoplian, *Dannhauerus* Hodosophiam, *Chamierus* Panstratiam, & alii iterum aliter, inscripserunt***.

* Omnem methodum systematicam & vulgarem a Fanaticis improbari, satis constat. Vide *Rob. Barclaium* in Theologiæ vere

vere Christianæ Apolog. th. IX. §. 21. p. 200.

** Conf. adcuratiorem systematis significatum apud *Bülfingerum* de origine mali p. 28. §. LXII. & fac periculum, quomodo ad disciplinarum systemata adplicari possit.

*** *B. Lutherus* noster non tam contra methodum systematicam quam scholasticam ejusque abusum locutus est, cujus dicta collegit *Zieroldus* in libello: *D. Mart.* Luthers Aufmunterung zur Liebe des Worts Gottes wider das Scholastisch-Aristotelische Christenthum. Conf. b. *Fechtii* Lectiones theolog. in Syllogen Disp. II. th. XI. p. 40. seqq.

§. IV. Cum itaque præfationem adhibere debeam Compendio novo theologico, in usum studiosæ juventutis conscripto, quem quidem laborem libentius justis ex causis declinassem, quam suscepissem, nisi imperata facere suasisset obsequii pietas; paucissimis hoc dato casu percontari apud animum statui, (versatur enim res in quæ-

quæstione) *quænam tractandi theologiam methodus rebus divinis maxime sit adcommodata & optima?* inter tot spurias, quibus hactenus λόγια τῦ Θεῦ non sine scandalorum dissemination extiterunt dilacerata potius, quam confirmata, exercitiis pervicacius conviciandi potius exposita, quam ad tuendam religionem & consequendam salutem dispositа *.

* Conf. *D. Zeltneri* orationem inauguralem de genuina & spuriis theologiam docendi methodis, Altorfii Noricorum recitatam 1706.

§. V. *Catecheticam methodum* antiquissimam pariter ac rebus divinis convenientissimam esse, nemo reclamabit. Ipsi sacrarum paginarum scriptores in N. T. vocem κατηχήσεως de institutione doctrinæ Christianæ prima eademque rudiori adhibuerunt, illis impertienda, qui Servatori Optimo nomen dare, atque in ejus con-

for-

sortium per lavacrum baptismale recipi cupiebant *. Quem significatum antiqua ecclesia fideliter retinuit, ut ortum hinc suum aliæ quoque voces catechetarum scilicet & catechumenorum omnino traxerint **. Est autem indoles methodi catecheticæ ita comparata, ut ad exemplum maximi doctoris, in medio doctorum consedentis, quæstionibus & responsionibus suam in rebus sacris cognitionem & sapientiam plane singularem ostendentis, illam adhibeamus instituendi alios rationem, qua per interrogationes & responsiones rudiorum intelligentia exploratur, eorumque scientia indies augetur & amplificatur ***.

* Vide *Dn. Wolffii* curas philolog. ad loca Luc. I, 4. Act. XIIX, 25. 1. Cor. XIV, 19. Gal. VI, 6. Hebr. VI, 1. & conf. *Suicerum* in thesauro ecclesiast. s. u. κατηχέω, tom. II. p. 70.

** Evol-

** Evolvi potest *Tob. Pfanneri* libellus de catechumenis & *Kromayeri* H. E. cent. VI. p. 263. seqq.

*** Conf. præter b. *Buddeum* in Isag. P. II. c. I. §. 4. p. 339. *Hoornbeck* in Miscell. sacr. L. I. c. XII. de catechisat. p. 346.

§. VI. Quod ipsi Apostoli hanc docendi methodum sint secuti, satis probabile est, licet in scripturis sacris diserte non inveniatur *. Viguit deinde simplex illa simpliciorum institutio in primitiva ecclesia inter Patres puriores, qui præprimis vocem γάλα ex scriptis Apostolicis huc adplicarunt, & epistolas Pauli ad Ephesios & Colossenses scriptas, *catecheticas* adpellarunt **. Succedentibus temporibus hæc quidem purior tractandi sacra methodus, corruptior apud illos comparuit, qui ex Platonicorum scholis prodierunt, vel in scholasticorum barbariem

riem prolapsi sunt, adeo ut pro certo statuatur, inter sæculum VI. & XVI. nullam scripto celebratam extitisse catechesin**; post reformationis autem tempora antiquus ille instituendi modus, dogmata sacra explanate proponendi, & sine ambagibus longis constans, iterum atque iterum ad pristinum splendorem, & in ecclesiam Christi rediit, id quod testium loco tot tantaque compendia theologica κατηχήσεως titulo insignita, e. g. beati *Martini Lutheri*, *Phil. Melanchthonis*, *Vrb. Rhegii*, *Cyr. Spangenbergii*, *Jo. Brentii*, *Jo. Pomarii*, *Val. Trozendorfii*, *Sim. Musæi*, *Dan. Chytræi*, *Luc. Lossii*, *Georg. Mylii*, *Ambr. Reudenii*, *Mich. Waltheri*, *Jo. Levanders*, *Jo. Gesenii*, *Jo. Fœrsteri*, *Conr. Dieterici*, *Phil. Jac. Speneri*, *Aug. Pfeifferi* & aliorum, satis luculenter commonstrant****.

*Vid.

* Vid. *Christoph. Buckii* disp. theol. sub præsidio *D. Walchii* habitam de Apostolorum institutione catechetica, & conf. b. *Io. Andr. Schmidii* disp. theol. de institutione catechetica.

** Vid. *Athanasius* in synopsi scripturæ Tom. II. p. 145. & 146. & conf. præter *Suicerum* l. c. voce ἐπιστολή Tom. I. p. 1189. b *Fechtius* in diss. de forma cateches. Paull & b. *Carpzovius* disp. de catech. rud. §. XI. XII.

*** Conf. diss. cit. b. *Fechtii* §. XXXIV. Consentiunt in ipso Papatu cordatiores, *Gerson* de negl. Prælat. Espencæus ad 2. Tim. III. *Cassander* in Consult. Art. IX. & *Anton. Possevinus* de necess. util. & rarit. catech. cathol. &c.

**** Quam curam habuerint post reformationem magistratus pariter ac ecclesiarum doctores de institutione catechet. monstravit præter *D. Læscherum*, in diss. de pædagogia magistratus religiosa, *D. Wegnerus* in disp. de informatione catechetica.

§. VII. Hæc methodus an rectius dicatur exoterica? non disputabimus; contradistinctam vero exotericam esse acroamaticæ, nemo vocabit in

dubium*. Est autem *methodus acromatica* illa docendi ratio sublimior, adcuratioribus interioribusque meditationibus referta, & non nisi acutioris ingenii hominibus proponenda, quæ eam quoque ob rationem in primitiva ecclesia reservabatur illis, qui jam tincti erant illo salutari baptismatis lavacro, & accedendi libertate gaudebant ad sanctissimi epuli mysterium**. Hæc methodus modo meditatione analytica modo synthetica absolvitur, cum in theologicis rectius progrediamur a principio ad conclusiones, vel conclusiones examinentur ad sua principia.

* *Aristotelem* primum fuisse, qui in publicis scriptis illam adhibuerit distinctionem, ostendit Aul. *Gellius* in Noct. Att. LXX. c. 5. Conf. *Melch. Zeidleri* librum de gemino veterum docendi modo exoterico & acroamatico, a *Jac. Frid. Reimanno* in idea system. antiquit. litt. recensitum, p. 134.

** Paucis, sed egregie, hac de re disseruit *Jo. Laur.*

Laur. Mosheim Institut. H. E. N. T. Sæc. I. sect. I. cap. 3. §. 6. seqq. Conf. *Campeg. Vitringa* Observ. sacr. L. III. c. XX. pag. 287. seqq.

§. VIII. Omnis autem theologiæ methodus genuina, & ingenua, non nisi antiquissima & Biblica esse debet; non humana auctoritate nixa, & otiose contemplatrix, sed quæ per universum fidei sinceræ vitæque inculpatæ genitrix & conservatrix existit. Hæc methodus non incommode ad ductum scripturæ s. dicitur *apodictica**, certis rationibus & argumentis demonstrans divinam veritatem, quæ in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis & auctoritatibus non consistit, sed ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ita, ut in theologia omnia deprehendantur apodictice vera.**.

* Conf. Act. XXV, 7. & maxime 1. Cor. 2, 4. ubi Apostolus humanæ persuasioni opponit ostensionem spiritus in rebus spiritualibus atque divinis, quæ sub sensum mi-

nime cadunt, ut illis fidem omnem indubie habeamus, haud secus, ac si illas oculis cernamus, ut fit in mathematicis demonstrationibus, quibus naturali & necessaria consequentia ex notioribus ignotiora nobis colligimus. Conf. *Marloratum* in Expos. Cathol. ad h. l.

** Specimen hac methodo dispositum publice nuper promisit *D. Mich. Gottl. Hanschius*, Consil. Cæsar. s. t. Apodixis theologiæ Christianæ ex propriis articulorum fidei in S. S. sedibus methodo infallibili deducta, cum differt. præliminari de mediis cognoscendi existentiam & divinitatem S. S. &c. Vid. Neue Zeitungen von gelehrten Sachen ad an. 1732. n. 84. pag. 739. it. n. 94.

§. IX. An itaque *methodus mathematica* vel *demonstrativa*, strictiori sensu sic dicta, conveniat tractationibus theologicis? non immerito quæritur. Methodo demonstrativa veritatem proponere illud est docendi genus, quo ex principiis præmissis indubiis, secundum legitimas Logices regu-

regulas, veritates eruuntur, ita, ut nec in principiis, nec in modo concludendi, quidquam cum ratione * desiderari possit: cum vero in theologia revelata principium adsit infallibile & omni exceptione majus, juxta quod nec desunt notiones certissimæ, nec definitiones, ex quibus axiomata formari possunt legitime ratiocinando; vix fieri forsitan posse arbitraberis, ut quicquam offensioni sit methodus demonstrativa in rebus theologicis **. Non ex litigandi cupidine procedit, quando dubitamus, an tractatio mathematica plene & ubique adcommodari possit doctrinis sacris, quæ ne quidem in capitibus philosophicis statui potest pleniſſima & perfectissima; illud autem ambabus concedere tutius erit, nullam methodum tractandi theologiam pleniorem esse Biblico-apodictica, quæ nullas admittit veritates & con-

cluſiones, niſi e principio divino deductas & demonſtratas. ***.

* Quid per rationem intelligant illi, qui ex ſcholis Wolffianis prodierunt, paucis, ſed claris, verbis expoſuit *Dn. Canzius*, qui uſum philoſophiæ Leibnitianæ & Wolffianæ in theologia non ſine multorum adplauſu demonſtravit P. I. c. I. de harmonia raionis cum revelatione § 5. ſeqq.

** Conf. A. jam citatum, qui illam docendi rationem, quantum fieri poteſt, ad methodum mathematicam accedentem commendat, qua oraculis recte expoſitis ſtructura veritatum apte coagmentatarum inædificetur, & axiomata, corollaria & theoremata eliciantur cap. II. §. 22. p. 193.

*** Nota eſt *Huetii* demonſtratio evangelica, quæ laudatur velut mathematicæ propinqua in Actis Eruditorum Lipſienſ. ſuppl. Tom. II. Sect. II. p. 98.

§. X. Sunt, qui huic docendi methodo theologiam convenientiſſimam eſſe dicunt *œconomiam fœderum*, quam veteris & N. T. tabulæ ſæpe numero reſpexerint. Et certe negari

gari non potest, hanc formæ dispositionem non solum Reformatorum cœtui esse propriam, sed ex nostratibus quoque quosdam semper extitisse, qui hanc methodum jure fœderali inclusam cæteris præferre haud dubitaverint*. Fateamur simul necesse est, illam considerationem utriusque testamenti phrasium & formularum passim obviarum, quibus semper jura fœderalia supponuntur, adeo esse necessariam, ut, eliminandæ barbariei vix melius adminiculum supereſſe in religionis negotio, perplurimos habeamus opinantes; verum enim vero, cum incommoda, quæ ex inæquali hominum numinisque divini conditione pariter ac obligatione oriri videntur, non facile evitari possint inter omnes; prudentius utique erit, ab ejusmodi vocabulis schematicis abstinere **, illamque theologiæ methodum commendare, quæ ordinem humanæ

manæ salutis ex veritatibus divinis ita nectit & proponit, ut ex plenitudine Christi mediatoris, per evangelium nobis exhibiti, ostendamus & gratiam pro gratia, gratiam vocationis, regenerationis, conversionis, justificationis, sanctificationis, confirmationis & glorificationis; vel, ut adcuratius dicam, quæ omnem veritatem ex solis fontibus verbi divini demonstrat non solum ad gratiam per Christum, fide adprehendendum, consequendam, sed ad illum quoque finem deducit, secundum quem in religionis negotio gratiam oblatam & acceptam in vacuum non recipimus, sed amicum fidei veræ charitatisque conjugium fixum & constantissimum stabilimus. Hoc sensu universa Theologia ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας κατ' εὐσέβειαν per omnia capita merito deprehenditur ***.

*In-

* Inter Noſtrates præter illuſtrem illum Politicum, *Sam. Pufendorffium*, qui tractatum ſcripſit de Jure Feciali Divino, hunc in cenſum veniunt, *Georg. Calixtus*, *Jo. Muſæus*, *Jo. Wolfg. Jægerus* & alii fortaſſis nobis adhuc incogniti.

** Paucis ſed egregiis verbis univerſum hoc negotium de Theologia Fœderali propoſuit b. *Fechtius* Prælect. in Syllog. diſp. XXIX. de teſtamentis §. I. p. 437. ſeqq. Legi quoque meretur hac de re *Campeg. Vitringa* Obſerv. Sacr. L. II. c. VI. p. 329. ſqq

*** Sic loquitur Paulus Tit. I, 1. quo loco fontem primo omnis Theologiæ monſtrat, veritatem divinam, quæ nos ab omni errore mendacioque liberat, & ſola ad illam DEI cognitionem ducit, qua gratiæ promiſſionem fide ſola nobis adplicamus: deinde quoque finem addit, qui alio non ſpectat, quam ut rite DEUS colatur, & veritatis agnitio non ſit otioſa, ſed viva & efficax in mandatis divinis cuſtodiendis.

§. XI. Hac methodo ſcriptas eſſe novas has *Theologiæ Dogmaticæ inſtitutiones*, ſincero lectori facile adparebit. Arduus omnino labor eſt, ocea-

num illum rerum divinarum in anguſtias cogere; ſed nec Auguſtini effatum * ſuſpenſum fecit Auctorem Clariſſimum, in ornamentum rei litterariæ natum. Scripſit enim juſſu & auctoritate SERENISSIMI NOSTRI PRINCIPIS REGENTIS, PATRIS PATRIÆ LONGE INDVLGENTISSIMI, ut Gymnaſium Illuſtre, in quo Conrectoris ſpartam hactenus ornavit, Compendium haberet veritatum divinarum, quibus imbuantur felicius alumni præcipui; ſed ſcripſit maxime ad normam S. S. ſecundum legem & teſtimonium *Maximi Domini*, qui nutritios eccleſiarum & ſcholarum adhuc terrarum principes efficit, & ubique locorum doctores & magiſtros ſapientia cæleſti inſtruit in reipublicæ commodum & eccleſiæ præſertim feliciſſimum incrementum. In hoc labore commendando amori parum tribuo, cum ejus laudi ſuffra-

ſuffragetur tractatio ipſa; nec repeto, quam bene congreſſerit doctrinas theologicas præcipuas, & quid præ cæteris ſingulare præſtiterit in ordine ſalutis demonſtrando; hæc duo tantum nominare, ſatis erit laudare, quod theſes ſuas, partim ex *ipſis fontibus* limpidiſſimis, &, ubi naturæ lumen quidquam contribuere videtur, ex rationibus quoque philoſophicis demonſtraverit, partim ad *finem illum* primarium & ſecundarium, qui eſt gloria DEI praxisque Chriſtiana per omnia fere capita, & præſertim ſub coronidem cujusvis, adplicaverit. Sin autem B. L. quædam forſitan deprehenderit novo plane exemplo propoſita, ocyus ne ruat in contrarium judicium, ſed ea omnia ipſi auctori doctiſſimo tribuat, ad defendenda, quæ ſtatuit, paratiſſimo.

* Magnum, inquit, opus tale atque arduum, &, ſi ad ſuſcipiendum difficile, vereor ne

ne ad sustinendum temerarium. L. L. de doctrina Christiana c. I.

§. XII. Quod reliquum est, nihil nisi vota tandem addimus, quæ nuncupamus pro PRINCIPE NOSTRO REGENTE in rem quoque litterariam Clementissimo: pro *Gymnasio Illustri*, sede bonarum artium scientiarumque divinarum amplissima; pro *auctore doctissimo*, amico nostro devenerando. DEVS, qui omnis veritatis auctor est & stator, tueatur porro PRINCIPEM NOSTRVM GRATIOSISSIMVM salvum & incolumem ad serum usque senium, ut sanctificatus in veritate & confirmatus in felicitate, cum universa *Domo Serenissima, peculium DEI maneat pretiosissimum.* DEVS, qui hactenus *Gymnasium nostrum* curæ sibi habuit prolixissimæ, porro illud sollicite foveat, ut emendatum semper floreſcat sub magistris, quibus nunc frui-

fruimur, eruditissimis & politissimis, omnesque alumni bonis moribus pariter ac elegantioribus litteris exornentur. DEVS, qui *auctorem* hujus speciminis theologici copiosa mactavit scientiarum laude, in posterum quoque benigne prospiciat ipsi, ut, omni benedictione & præmiorum abundantia coronatus, novos semper fundat flores, in reipublicæ litterariæ ornamentum. Sic gratulor tibi, vir clarissime, ut debeo, ex animo, cum præsenti tum etiam sperata tua felicitate & dignitate. Datum Vinariæ Calendis Martii A.R.S. M DCC XXXIII.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

AVCTOR.

Ad conscribendas novas *Dogmaticæ theologiæ institutiones*, quas ob oculos TVOS constituo, clementissimum indulgentissimi HERI mei mandatum me compulit: cui parere non nolui; cum præsertim intellexerim, sæculi nostri rationes illas postulare regulas, quas præstantissimus *PRINCEPS* meus, pro ea, qua pollet, sapientia IPSE mihi præscripsit, IDEMque sibi persuaserit, me esse egregium cultorem orthodoxiæ ad veram perducentis pietatem. Perspicuitati me studuisse, vel ipse livor pallidus confiteatur necesse est. Puritatem sermonis Latini sollicite respexi, si ab iis discesseris locis, in quibus theologorum venerandorum consuetudo pariter atque auctoritas me a pristino Romanæ dictionis nitore jussit discedere. Summa venerabilis Abbas *D. Jo. Laurentius Mosheimius*, qui hunc libellum prius perlegit, quam prelo committeretur, hæc ad me perscripsit (*) verba: Deroselben Werck ist so

(*) In litteris Helmstadio die V. Novembr. an. 1732. ad me missis.

so gut und nützlich abgefaßt, daß ich mir kein Gewissen machen darff, dasselbe zu loben und andern anzupreisen; quæ pace *tanti viri* a TE legi volo atque ponderari. Excipias, quæso, hunc librum serena fronte, & animo salutis meæ cupido. Brevi tempore foras dabo *institutiones theologiæ polemicæ* seu potius *elenchticæ*, nova plane, & a *SERENISSIMO PRINCIPE* meo præscripta, ratione confectas. Vale meosque adjuva conatus. Scripsi Vinariæ. die IV. Martii A. R. G. MDCCXXXIII.

PRÆFATIO AVCTORIS
NOVA, SECVNDÆ EDITIONI PRÆMISSA.

Prodit nunc auctior hic liber, amice lector: postquam non in Germania solum, sed in Dania etiam atque Suecia, plausum feliciter nactus est. Placuit plerisque candor meus, quem in tradendis theologiæ revelatæ capitibus manifestavi. Celeb. *D. Bernboldus* in litteris Altdorfio ad me missis vocavit hunc librum *candidam, perspicuam & rotundam doctrinæ evangelicæ explicationem.* Celeb. ejusdem collega

lega *D. Baierus* confirmavit, me & eruditioni & pietati inserviisse ingenue, plane alienum a perverso partium studio. Et celeb. *D. Feuerlinus* eundem hunc librum adpellavit *succinctas, momentosas ac nervosas theologiæ institutiones*. Subnecterem etiam aliorum theologorum judicia, nisi vererer, ne Zoilus temere clamitaret, me superbia duci. Vide 1) *Act. Erudit. Lat.* Lipſ. Sect. 12. tomi X. nr. 6. 2) *Act. Erud. German.* part. 189. nr. 5. 3) der Unschuld. Nachricht. Anhang aufs Jahr 1733. p. 1109. sqq. 4) *Catalogos* lectionum *acad. Rintel.* 1734 - - 1742. 5) celeb. *C. G. Ludovici* Hist. der Wolff. Philos. part. 2. §. 454. p. 402. In adjiciendis observationibus philosophicis aperte, credo, declaravi, me esse eclecticum, non certæ addictum sectæ. Omnia vero direxi ad veram veri Christianismi praxin. Vale, lector benevole, mihique fave.

I. N. J.

I. N. J.

PROLEGOMENA GENERALIA.

§. I.

Licet vox *Theologia* in sacra scriptura sit ἄγραφος (*), & ex gentilium demum scholis ad sacros usus translata (**), atque a Græcis primævæ ecclesiæ Patribus hoc olim nomine adpellata (***); merito tamen a nobis hodie

A

(*) Vid. celeb. *D. Christ. Aug. Heumanni* & *b. L. J. Hermanni Elswichii* commentationes *de inscriptione apocalypseos Joannææ.*

(**) Conf. *b. D. Jo. Franc. Buddei* Instit. Theol. Dogm. lib. 1. cap. 1. §. 37.

(***) Vid. *b. D. Jo. Wilh. Baieri* comp. theol. posit. *proleg.* cap. 1. §. 1.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857208587/phys_0037
DFG

hodie retinetur & adhibetur: significat enim *scientiam rerum divinarum.*

§. II. Theologia est

α) *vel* ἀρχέτυπος Actor. XV, 18. quæ est vel *essentialis*, qua Deus semetipsum perfectissime cognoscit, vel *exemplaris*, quæ est mens divina per verbum scriptum nobis ad salutem manifestata:

β) *vel* ἔκτυπος hominum viatorum ad cœlestem patriam contendentium, 2. Corinth. II, 10.

Similitudines hoc discrimen illustrantes exstant 1. Chron. XXIX, (XXVIII.) II. 19. (*).

§. III. Theologia hominum viatorum est

α) vel *naturalis:* quæ est scientia cum insita tum adquisita de Deo rebusque divinis, quam homo habet ex lumine naturæ;

β) vel *revelata:* quæ est scientia ex divina revelatione hausta de Deo, & de salutis nostræ tum fundamento, tum ordine, tum mediis.

§. IV. Quoniam *objectum* Theologiæ revelatæ *materiale* in *credenda* & *agenda* distinguitur, Theologia est

α) vel *thetica* seu *dogmatica*: quæ est scientia practica, docens & confirmans ex sacra scriptura omnes fidei articulos, ut homo peccator per fidem in Christum æterna potiatur salute.

β) vel

(*) Vid. *b. D. Casparis Læscheri* Theolog. Thet. thes. 2. §. 2.

β) vel *moralis*: quæ est scientia practica, docens ex sacra scriptura, qua ratione homo regenitus & justificatus in vita spirituali proficere, suamque fidem per adsiduum bonorum operum exercitium magis magisque demonstrare debeat, donec, deposita omni imperfectione, æternam adipiscatur beatudinem.

§. V. Theticam Theologiam ab adversariorum objectionibus defendit *Theologia polemica*, ita, ut veritatis cœlestis hostes confutentur & convincantur. Huic egregie inservit *historia ecclesiastica*.

§. VI. Omnium studii theologici partium basis est *Theologia exegetica* (*); singularum autem adplicatio utilissima commonstratur in *institutionibus Homileticis*, quæ quintam & ultimam exegeticæ theologiæ partem recte (**) ac merito constituunt.

§. VII. Ad moralem theologiam pertinet etiam

α) *conscientiaria* seu *casuistica*, quæ in variis iisque arduis casibus practicis conscientiam dirigit:

(*) Vid. *b. D. Joan. Fechtii* dissert. *de studii biblici cum systematico connexione, huiusque divina origine.*

(*) Conf. mea *Methodus studii theologici*, institutionibus *meis theologiæ parabolicæ* subiuncta.

β) *mystica*, purior nempe & sanior, quæ, ex mente celeb. *D. Valent. Ern. Læscheri* (*), ostendit internum incrementum Christianorum renovandorum ad sanctam religionem internam, quam vulgo *devotionem cordis* adpellamus.

γ) *ascetica*, quæ exponit (**) de custodia vitæ spiritualis, de agone Christiano, de tota παιδοπλίᾳ spirituali, de studio imitandi virtutes Christi, & de μέτρῳ ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ χριστοῦ.

§. VIII. Ego hoc in libro tantum *Theologiam Theticam* explicabo, tum naturalem tum revelatam.

(*) In præfatione *Theologiæ Mysticæ Orthodoxæ* præmissa, §. 15.

(**) Vid. celeb. *D. Joach. Oporini* allocutio ad auditores suos *de discrimine theologiæ moralis & asceticæ.*

APODIXIS
BREVIOR ET PÆDAGOGICA

THEOLOGIÆ THETICÆ NATVRALIS,

AVCTORE

D. LAVRENTIO REINHARDO.

ROM. I, 19.

Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς.
ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε.

Q. D. B. V.

PROLEGOMENA DE THEOLOGIA NATVRALI.



§. I.

Theologia Naturalis est *scientia practica cum insita tum adquisita de Deo rebusque divinis, quam homo habet ex lumine naturæ.*

§. II. *Scientiam* illam esse adfirmo eo majori jure, quod primis hisce omnis humanæ cognitionis seminibus *infallibilis* merito tribuitur *certitudo.*

§. III. Immerito sane *scientia Dei innata seu insita* rejicitur, quia *idearum innatarum veritas* per ipsam experientiam comprobatur: & quia necessario credendum est, eas per ipsam creationem ab auctore exsistentiæ nostræ menti nostræ fuisse inditas, eum in

in finem, vt inde omnis cognitio (*) veri ſuam trahat originem.

§. IV. Accedat neceſſe eſt etiam *ſcientia adquiſita* ex adminiculis obviis; qualia ſunt

a) contemplatio mundi, rerumque in eo nobis occurrentium, cum ratiociniis ſolidis conjuncta:

b) lectio librorum a philoſophis pariter atque, theologis, præſertim recentioribus, ſcriptorum

c) lectio *Patrum* priſcæ eccleſiæ Chriſtianæ, qui *apologias religionis Chriſtianæ* conſcribentes, gentilium philoſophos ex admiſſis & conceſſis ab iis principiis oppugnarunt.

§. V. *Lumen naturæ* eſt igitur *principium cognoſcendi* in theologia naturali: & extra illud nullum aliud commonſtrari poteſt.

§. VI. *Theologia naturalis* convenit cum *revelata*, ſi auctorem illius, nec non objectum, & finem, ſpectemus; licet ab hac differat & quoad *principium* cognoſcendi, & quoad *limites*.

§. VII. Theologia naturalis recte dividitur in *theticam* ſeu theoreticam, & in *practicam* ſeu moralem: de *illa* hoc in libro

(*) Vid. ſumme venerabilis & celeb. *D. Jac. Wilh. Feuerlini* diſſert. *de genuina ratione ex conſenſu gentium demonſtrandi exiſtentiam Dei.*

ero sollicitus; de *hac* in *philosophia morali* & *Jurisprudentia naturali* exposui.

§ VIII. De reliquo manifesta est *hujus scientiæ necessitas*, tum quod omnium hominum conscientias obligat, tum quod pædagogiam rationis ad evangelium ostendit. Non minus manifesta est eius *utilitas*, quæ sese exserit in convictione mentis nostræ, in conversione gentilium, & in confutatione atheorum.

PARTIS I.
CAPVT I.
DE
EXSISTENTIA DEI.
§. I.

Deus est *spiritus infinitus, a nulla caussa priore dependens, & summas perfectiones eminentissimo modo complectens, rationemque sufficientem exsistentiæ hujus mundi continens.* Sive: *Deus* est *spiritus a se & per se exsistens.* Sive: *Deus est spiritus independens & infinitus.*

§. II. Summus gradus *perfectionis* impossibilis haud est: nam ex minus magisque perfectis, quæ experientia ob oculos nobis

nobis constituit, recte colligit sana ratio, ens existere perfectissimum; immo cum mens humana ideam entis perfectissimi habeat, hæc profecto foret frustronea, si ens perfectissimum non existeret. Existentia igitur entis perfectissimi est possibilis. Quid? quod certissima existentia entis perfectissimi, hoc est Dei, ex argumentis sequentibus quam clarissime exsplendescet.

§. III. Quicquid actu existit, necessario habet existentiæ suæ rationem sufficientem (*). Cum igitur hic mundus visibilis actu existat, habeat ille existentiæ sufficientem rationem necesse est. Hanc vero aut in se ipso, aut extra se in alio habet. Jam vero mundi attributum essentiale est *materia*, seu *extensio*, ad cujus ideam non pertinet *existentiæ necessariæ idea* (**), cum

(*) *Principium rationis sufficientis* post celeberrimos viros, *Godofr. Wilh. Leibnizium*, *Christian. Wolffium*, *Jo. Gustav. Reinbeckium*, *Israel. Theophilum Canzium*, & *Jo. Petrum Reuschium*, in peculiari dissertatione explicavit clarissimus *Jac. Carpovius*.

(**) Conf. *b. Ludov. Phil. Thümmigii* Theol. Naturalis in *Philosophia Wolffiana*, & celeb. *Jo. Petri Reuschii* Theologia Naturalis in *Systemate Metaphysico*.

extensio hæc certo *situ* variaque *figura* gaudeat, *motusque* secundum certas leges fixus & constans adsit. Ergo exsistentiæ suæ caussam non potest habere in se ipso. Ergo extra & præter hunc mundum exsistat oportet ens, in quo sit ratio sufficiens exsistentiæ hujus mundi, & quod rationem suæ exsistentiæ in se ipso habeat. Ergo hoc ens *a se*, *in se*, & *per se* exsistit. Ergo nullius virtute ad exsistendum indiget, sed propria exsistit virtute. Ergo non dependet ab alio. Ergo in omnibus, quæ ipsi conveniunt, ab alio prorsus independens est. Ergo exsistit immutabiliter. Ergo exsistit necessario. Ergo exsistit per essentiam suam. Ergo exsistit ab æterno. Quoniam igitur a se & necessario exsistit, nequit fieri, ut unquam desinat. Ergo non potest esse corpus; cum præsertim idea extensionis non solum non includat ideam perfectionum entis perfectissimi, sed etiam varias ponat imperfectiones in ens summum non cadentes: & caussa rerum omnium necessario sit ens activum (*). Ergo est spiritus diversus ab omnibus entibus finitis.

(*) Vid. celeb. *D. Frid. Adolphi Lampii* Compend. *Theol. Natur.* p. m. 43. sqq.

tis. Ergo habet perfectiones ſummas & infinitas. *Ergo exſiſtit DEVS.*

§. IV. Univerſum mundi ſyſtema conſiderantes deprehendimus inſignem corporum multitudinem: rerum creatarum, quas ille continet, multitudinem ac varietatem eximiam: elegantiſſimum in tanta rerum varietate ordinem ac diſpoſitionem aptiſſimam, adeo, ut cuncta certo inſerviant uſui, & ad certos fines, ſibi præſcriptos (*), contendant. Profecto qui cum cœleſtia corpora, tum telluris noſtræ ordinem, & ingentes, quos ea profert, theſauros, itemque animantium in ea viventium multitudinem, perpendit, is confiteatur neceſſe eſt, ab eo hæc profecta eſſe ſpiritu, qui ſummam ſuam majeſtatem ſapientiſſima ratione manifeſtare voluit: cum præcipue cognoſcamus luculenter, mundum in numerum entium contingentium eſſe referendum, ideoque non poſſe habere in ſe exſiſtentiæ ſuæ rationem ſufficientem, ideoque dependere a ſpi-

(*) Quo pacto *ex finibus omnium rerum* Dei exſiſtentia & providentia adſtrui queat, oſtenderunt *b. D. Buddeus* in theſ. *de atheiſmo* cap. 7. §. *David de Rodon*, doctiſſimus Gallus, im widerlegten Atheiſmo p. m. 223. ſqq. & *b. D. Jo. Fridericus Wucherer* in peculiari diſſertatione.

ſpiritu ſapientiſſimo, potentiſſimo, ac benigniſſimo. Si igitur exſiſtit talis ſpiritus, qui habet eas perfectiones, per quas in eo eſt ratio ſufficiens exſiſtentiæ hujus mundi; *exſiſtit* profecto *DEVS.*

§. V. Pergo ad *motum* (*) in rerum natura. Quicquid movetur, movetur ab alio. In cauſis moventibus *impoſſibilis* (**) eſt *progreſſus in infinitum.* Ipſi materiæ generatim non ineſt motus (***) neceſſarius, cum videamus etiam materiam quieſcere. Motus corporum & omnis materiæ fit ſecundum certas leges; & cauſſæ motus ſecundæ ſunt finitæ. Cum vero finitum non ſit a ſe ipſo, exſiſtat neceſſe eſt cauſa motus prima infinita. Ergo *motus in rerum natura* non habet in ſe ſufficientem ſui rationem. Ergo recte a cauſis moventibus inter ſe connexis argumentatio inſtituitur ad motorem primum, qui eſt cauſſa prima, fons

(*) Vid. *b. D. Jo. Melchior. Verdriſii* Introd. *in Phyſicam* p. m. 107. ſq. & *b. D. Andreæ Rüdigeri* philoſ. pragmatic. lib. 2. p. m. 63.

(**) Vid. *b. D. Buddei* theſ. *de atheiſmo* p. m. 373. ſq. edit. ſecundæ, & *Davidis de Rodon* lib. cit. p. m. 236. ſq.

(***) Vid. celeb. *D. Jac. Wilh. Feuerlini* Curſ. Philoſoph. Tabul. XIII. *de motu.*

fons & origo omnis motus. Ergo exsistit *motor primus*. *Ergo exsistit DEVS.*

§. VI. Quicquid extra me invenio, aut *spiritus* sunt aut *corpora*; ita, ut recte concludam, duo tantum esse rerum exsistentium genera. *Exsistentiam spirituum finitorum, praeter animam humanam*, eo facilius cognoscit ratio, quo evidentius (*) animæ humanæ exemplo comprobatur, exsistere substantias materiæ expertes; præsertim cum intelligat, & necessariam & Deo maxime dignam esse eorum exsistentiam. Exsistant enim necesse est spiritus inter Deum & hominum animas medii, quorum *cognitio* (**) a sensualibus repræsentationibus sit remota, ideoque cognitione hominum præstantior, quanquam finita: & quorum *potentia* (**) hominum potentia sit major, licet finita. Præterea per *sensus recte adhibitos* plurima animadverto *corpora*, eorumque *varietas*, *figura*, *situs* & *ordo* mihi sistuntur. Jam vero a)*spi-*

(*) Vid. *b. D. Jo. Zachar. Hilligeri* Institut. *Pneumat. Eclecticæ* p. m. 74. sqq.

(*) Vid. summe reverendi *D. Jo. Gustavi Reinbeckii* Meditat. in August. Confess. tom. 1. p. m. 248. sqq.

(**) Vid. *D. Buddei* lib. cit. cap. 7. §. 3. & *b. Christiani Donati* Instit. Pneumat. p. m. 449. sqq.

α) *ſpiritus finiti* in facultatibus & operationibus ſuis & inter ſe differunt pro ſumma Dei ſapientia, & certos habent limites. Ergo in entium contingentium numero ſunt habendi. Ergo dependent a ſpiritu ſummo. Ergo eſt ſpiritus ſummus. *Ergo eſt DEVS.*

β) *corpora mundana* ex multis partibus magis ſimplicibus ſunt compoſita. Ergo exſiſtere cœperunt. Ergo ſunt entia contingentia. Ergo non ſunt a ſeipſis. Ergo originem ſuam debent conditori ſapientiſſimo, potentiſſimo & benigniſſimo. Ergo exſiſtit conditor ſapientiſſimus, potentiſſimus & benigniſſimus. *Ergo exſiſtit DEVS.*

§. VII. Nos homines exſiſtere, tam certum eſt, quam quod maxime: ſumus enim cum noſtri tum aliarum rerum extra nos conſcii. Fundamenta vero eorum omnium, quæ in homine deprehenduntur, ſunt *idea*, *deſiderium*, & *motus* (*). Cum itaque hæ facultates agendi non poſſint ineſſe in corpore, quod in his tantum patitur; haud difficulter cognoſcimus, præter *corpus* hominem adhuc peculiarem aliquam habere ſubſtantiam, cui illæ facultates competant. Hancque vocamus *animam*. Ergo partes hominis eſſentiales ſunt corpus & anima. Cor-

(*) Vid. *b. D. Jo. Jac. Syrbii* inſtitut. *philoſ. primæ* p. m. 7. edit. primæ.

Corpus humanum (*) dum intuemur, in omnibus partibus tum externis tum internis artificioſisſimam cernimus ſtructuram (**). Hæc non habet exſiſtentiæ ſuæ rationem in ſe ipſa: motus corporis certis ſubeſt legibus: ipſum corpus mutationi eſt obnoxium, eſtque ens compoſitum ideoque contingens. Ergo non exſiſtit neceſſario. Ergo originem ſuam habet a creatore ſummo. Ergo exſiſtit creator ſummus. *Ergo exſiſtit DEVS.* Humana *anima* in facultatibus & operationibus ſuis ſuos habet limites, eſtque ſpiritus finitus: ergo in contingentium numerum eſt referenda: ergo non eſt a ſe ipſa: ergo dependet a ſpiritu ſummo: ergo exſiſtit ſpiritus ſummus: *ergo exſiſtit DEVS.*

§. VIII. Animæ cum corpore coniunctio, eiusdem a corpore ſeparatio, in ſe non habent ſufficientem ſui rationem. Nam

a) *Vin-*

(*) In peculiaribus ſcriptis exſiſtentiam Dei demonſtrarunt ex manu *Chriſtianus Donatus*, ex corde *Georg. Alb. Hambergerus*, ex voce animalium *Andreas Murræus* theologus hodie Holmienſis, ex oculo *Jo. Chriſtoph. Sturmius*, ex aure *Jo. Andr. Schmidius*, ex loquela hominum *Jac. Wilh. Feuerlinus.*

(**) Hoc copioſe demonſtrarunt præſtantiſſimi ſcriptores *phyſiologiæ medicæ* & *anatomiæ.*

α) *Vinculum inter animam & corpus* non est necessarium; id quod mors comprobat. Ergo requirit causſam Hanc causſam frustra quærimus in nobis ipsis; immo neque parentibus origo huius vinculi tribui potest, cum unio animæ & corporis, *parentibus* non solum *nescitis*, sed etiam sæpe *invitis*, contingat. Ergo redeundum est ad causſam primam, liberrimam, potentissimam atque sapientissimam. Ergo ex istit talis causſa prima. *Ergo exsistit DEVS.*

β) *Animæ a corpore separationem* horret homo natura ductus. Ergo a sola natura non dependet. Ergo dependet a causſa prima, liberrima, potentissima, sapientissima. Ergo exsistit talis causſa prima. *Ergo exsistit DEVS.*

§. IX. Consideremus propagationem (*) generis humani. Nemo hominum sui ipsius causſa est, neque splendidæ corporis sui structuræ est faber. Mens ejus nescia est tanti operis: multo minus corpus semet-ipsum ita disponere potuit, cum ne sui quidem cognitionem habeat. Non fuit ejus optio & potestas, ut se pulchrum aut deformem fecerit: Neque exsistentiæ suæ rationem sufficientem in parentibus suis quisquam

(*) Conf. celeb. *D. Lampii* Theol. Natur. p. 31. sqq. & celeb. *D. Bernhardi Nieuweutyti* Erkänntniß des göttlichen Wesens aus den Dingen dieser Welt p. 29. 38. sqq.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857208587/phys_0052
DFG

quam inveniet: quippe quibus nesciis conjunctio animæ cum corpore contigit, & qui post conceptionem ignorarunt, isne futurus esset mas an fœmina? Neque parentes ad producendam ejusdem animam conferre quidquam potuerunt. Ergo neque exsistentiæ parentum suorum rationem sufficientem in majoribus suis reperiet, neque adscendendo denique ad par conjugum primum in hoc exsistentiæ ipsius rationem sufficientem inveniet. Ergo adscendat necesse est ad *caussam omnium rerum primam*, a qua primus homo & corpus & mentem accepit, & quæ primis parentibus facultatem concesit, genus suum, pro sapientissimis divinæ benedictionis rationibus, propagandi & multiplicandi. Ergo exsistit talis caussa prima. *Ergo exsistit DEVS.*

§. XI. Dum homo naturam suam contemplatur, finem suum potissimum respicere debet. Hominis autem finis elucet ex ejusdem (*) desiderio, essentiali, necessario, omnibusque ex æquo hominibus communi.

(*) *De infinito hominis desiderio* omnium copiosissime exposuit *b. D. Jo. Jac. Syrbius* tum in *philos. prim.* p. m. 11. 169. tum in peculiari *dissertatione.*

ni. Hoc vero ita comparatum est, ut bonis finitis & caducis exsatiari nequeat homo. Cumque homini essentiale sit, ita ut omnes eodem æque instigentur; sequitur, ut inditum sit homini a caussa efficiente prima, quæ non dependet ab alia. Ergo potuisset etiam hoc homini desiderium non dare. Ergo non datum est frustra, sine certa ratione certoque consilio. Ergo homo factus est ad finem infinitum, quem etiam abstractione potest adsequi. Ergo exsistit bonum infinitum, cujus neque essentia, neque duratio, neque perfectio certis circumscripta est limitibus. *Ergo exsistit DEVS.*

§. XII. Pervenio ad considerationem *conscientiæ* humanæ: quæ sese cuique, vel nolenti, sistit (*). Est autem conscientia *judicium practicum intellectus, cognitione normæ imbuti, de hominum actionibus, earumque cum norma convenientia.* Hæc actiones malas commissas damnat, & pœnas certo insecuturas prævidet, etiam in iis hominibus,

(*) Vid. beati præsulis Berolinensis, *Lamberti Gedickii*, primæ veritates relig. Christianæ p. m. 41. sqq.

bus, qui in summo loco constituti (*) pœnas civiles effugiunt. Inde oritur perturbatio animi. Ergo est in hominibus arcanus sensus naturalis legis, ipsorum cordibus inscriptus. Ergo exsistit summus legislator generis humani, isque tum sanctissimus tum justissimus, a quo homines dependent, & cujus imperio omnes subjecti sunt mortales. *Ergo exsistit DEVS.*

§. XIII. Quod si quis præterea origines, incrementa, vicissitudines, & conservationem tum regnorum & rerum publicarum, tum scientiarum & artium, ponderare voluerit; hæc ita comparata esse animadvertet, ut sine summi entis providentia & potentia infinita nullus iis locus esse queat: nam neque in his progressus in infinitum facere posse quemquam, sole meridiano (**) est clarius.

§. XIV. Accedit denique argumentum summi & gravissimi ponderis, quod ex *operibus*

(*) Videantur *Dio Classius* hist. Rom. lib. 6. 1. & *Svetonius* in *Caligula*, nec non *b. D. Godofredus Olearius* in *Colleg. Pastor.* p. m. 38. sqq.

(**) Vid. *b. D. Buddei* theses *de atheismo* cap. 5. §. 9. p. m. 441. sqq.

ribus Dei in regno gratiæ (*) petitum est. Hæc quam efficacissime in iis exsistentiam DEI demonstrant, qui ordini salutis, in divina revelatione indicato, morem gerunt atque obtemperant. Quid? quod horum hominum, salutari experientia edoctorum, cognitio multo est firmior, quam illorum, qui demonstrationibus demum ad cognitionem exsistentiæ DEI perducti sunt; id quod piorum confessorum & martyrum historia liquido confirmat.

§. XV. Agmen tandem claudat argumentum *ex consensu omnium gentium* (**) petitum. Nulla enim gens tam barbara, tam immanis, tamque immansuera unquam fuit, quæ non Numen aliquod supremum crediderit, illudque colendum esse censuerit. Vnde sequitur, ut homines veritatis hujus theseos: *DEVS exsistit;* naturali quodam

(*) Conf. clarissimi *Christiani Breithaupti* Gedancken von den unterschiedenen Methoden die Atheisten zu überzeugen, Helmæstadii 1732.

(**) Hoc argumentum copiose persecuti sunt viri inclyti *D. Jo. Ludov. Fabricius* in *apologet. pro genere humano*, *D. Val. Ern. Læscherus* in *prænotion. theologicis*, *D. Feuerlinus* in peculiari dissertatione, *D. Buddeus* l. c. & *D. Lampius* lib. cit. p. m. 35. sq. §. 117. 118.

dam instinctu convincantur, nisi petulanter resistant.

§. XVI. Non desunt, qui argumenta, adquisitam Dei notitiam gignentia, dividunt(*) in *metaphysica* seu ontologica, *physica* (voce in latiori sensu accepta) & *historica*. Sed in singulis hisce *principium rationis sufficientis* utilissime adhiberi posse, nemo non intelligit.

§. XVII. Ex hactenus dictis cognoscimus, *Atheos* omnium hominum esse stultissimos (**). *Athei* plerumque distingvuntur in *Theoreticos* & *Practicos*. De his hoc loco non differo; quod ad illos attinet, certum est, exsistere posse Atheos, quibus *ad tempus*, per singulare Dei judicium, omnis Deitatis sensus stultarum meditationum pravarumque concupiscentiarum cœno quasi immersus est atque sepultus (*⁎*). Immo *Jenkinus Thomasius* (†), *Jo. Franciscus Budeus*

(*) e. g. celeb. *Jo. Jac. Lehmannus* in institut. theol. natur. cap. 1. p. m. 6. sqq.

(**) Stultitiam & miseriam Atheorum depinxi im Beweis von der Gewißheit und Unvollkommenheit der natürlichen Religion cap. 3.

(*⁎*) Id jam adserui in *Observationibus* ad *b. D. Menonis Hanekenii explicat.* epistolæ ad Ephesios.

(†) in *Historia philosophica de atheismo.*

deus (*), & *Jacobus Fridericus Reimmannus* (**), viri insignem nominis celebritatem adepti, *historiam atheismi* eleganter enarrarunt. Ex tribus criteriis Atheum cognosci posse, celeberrimus *Gisbertus Voëtius* (*_*) censuit:

1) si dubia existentiæ & providentiæ divini Numinis, quavis data occasione, opponant:
2) si ista dubia solvi posse temere negent:
3) si rideant, quæ de miraculis, mysteriis, vaticiniis, & divina revelatione docentur.

§. XVIII. *Causæ Atheismi* (†)

α) *internæ* sunt
- a) prava φιλαυτία, & atheismus practicus:
- b) ignoratio verorum principiorum, rationisque abusus:
- c) immanis superbia:
- d) animi dissolutio in contemplando mundo, & intuenda hominum natura:
- e) amor pessimorum librorum

β) *externæ* sunt
- a) perversa ratio studiis litterarum operandi,
- b) justissimum judicium Dei, nefarios majestatis ipsius oppugnatores desereutis ac punientis.

Cete-

(*) in *Thesibus theolog. de atheismo & superstitione.*
(**) in *Historia Atheismi Universali.*
(*_*) in dissertatione pererudita *de atheismo.*
(†) Conf. libellus meus modo citatus cap. 2. & *b. D. Syrbii* dissertatio *de atheismi origine* §. 26. sqq.

Ceterum *de origine atheismi* ex vera *historia philosophica* recte sententiam & genuine expositurus, non possum non confiteri, ante institutam *sectam Jonicam*, quæ, post barbaricam philosophiam absque dubio est antiquissima, atheismo theoretico fere nullum fuisse locum.

PARTIS I.
CAP. II.
DE
ATTRIBVTIS DIVINIS.

§. I.

DEVS est ens simplicissimum. Ergo *attributa Dei* ab ejus essentia non differunt, & reipsa nihil sunt aliud, quam essentiæ divinæ, diverso modo a nobis spectatæ, speciales descriptiones. Interea tamen id dandum ingenii humani imbecillitati, ut attributa illa speciatim considerando in essentiæ divinæ penitiorem cognitionem penetrare contendat.

§. II. Omnia DEI attributa (*) partim ex

(*) Alii alia utuntur methodo. *D. Syrbius* illa partim ex *infinitate*, partim ex *summa perfectione* Dei

ex idea *independentiæ*, partim ex idea *spiritus infiniti* commode (*) derivantur. Ex *idea independentiæ* fluunt

1) *Vnitas:* est enim contradictorium ideoque ἀδύνατον, exsistere plures essentias independentes & infinitas.

2) *Æternitas*, qua habet durationem permanentem (**) sine principio ac fine, & sine omni successione aut vicissitudine.

3) *Immutabilitas*, qua nulli mutationi, neque secundum essentiam, neque secundum scientiam, neque secundum voluntatem & decreta, est obnoxius.

4) *Infinitas*, sive absoluta (**) omnemque captum

Dei deducit in *nexu doctr.* phil. p. 48. sqq. *D. Jo. Zach. Hilligerus* in *Pneumat. Eclect.* p. 50. sqq. ea dispescit in *absoluta* & *respectiva*, & illa rursus in *negativa* & *positiva;* sicuti etiam *Christ. Donatus* in *Institut. Pneumat.* p. m. 143. sqq. *D. Jo. Andr. Schmidius* in *Theol. Nat. posit.* ea dividit in *negativa* & *positiva* p. m. 62. sqq. *D. Lampius* lib. cit. p. m. 49. in *essentialia* & *relativa* dispescit.

(*) Hoc dum scribo, non nego, attributa divina etiam posse dispesci in *communia* & *propria*, in *positiva* & *negativa*, in *operativa* & *non-operativa*.

(**) Vid. celeb. *D. Feuerlini* dissert. *de æternitate Dei.* Ex æternitate, summa simplicitate, & immutabilitate Dei, sequitur ejus *incorruptibilitas.*

(**) *Infinitas* est *negatio finium perfectionis in divina essentia*, inquit *D. Jo. Andr. Schmidius* lib. cit. p. 68.

ptum humanum superans, atque nullis limitibus ac terminis circumscripta, perfectio. Hinc Deus infinitus est tum in se, tum pro captu nostro. Inde sequitur *incomprehensibilitas*.

5) *Immensitas*, qua nullos, ratione suæ ipsius substantiæ, neque intensionis neque extensionis limites admittit, nullisque locorum terminis circumscribitur: ex qua (*) fluit

6) *Omnipræsentia*, secundum quam omnibus rebus creatis intime præsens est. Et hæc est
vel α) *substantialis*, qua Deus cuilibet enti est præsens:
vel β) *visionis*, qua DEO omnia sunt præsentia:
vel γ) *operativa*, qua Deus in omnes creaturas continuo operatur.

§. III. DEVM esse spiritum summum, supra adserui. Ergo intellectum, voluntatem, & potentiam eminentissimo modo possideat necesse est. Ergo, præter a) *simplicitatem* summam, & b) *vitam* eminentissima ratione sic dictam, notio spiritus summi involvit,

1) ratione *intellectus*,
α) *omniscientiam*: secundum quam una, simplici & æterna contemplatione omnia cognoscit, semetipsum, omnes res præteri-

(*) *Immensitas* differt ab *omnipræsentia*, tanquam negativum a positivo, & absolutum a respectivo.

tas, præsentes & futuras; itemque futura necessaria, contingentia, & conditionata.

β) *omnisapientiam* seu sapientiam summam (*): qua semper, quod optimum est, eligit, adprobat, &, ut idem eveniat, cuncta dirigit; immo omnibus rebus certum eumque decentem finem constituit, & salutaria ad eum obtinendum remedia adhibet.

2) ratione *voluntatis*,

α) *perfectissimam libertatem* in decretis ac factis (**): nam caussa prima neque coactioni ulli neque cohibitioni potest esse obnoxia.

β) *sanctitatem summam:* quæ est rectitudo divinæ voluntatis, qua omnia recta ac bona vult æternæ suæ legi convenienter. Ex hac fluit *justitia summa*,

a) legislatoria,

b) remunerativa,

c) vindicativa.

γ) *benignitatem*, *gratiam*, & *misericordiam summam:* qua non solum creaturas, ad finem suum contendentes, juvat ac beneficiis cumulat, sed etiam miseros homines consolatur, auxilio tegit & liberat. Ex hac fluunt a) *longanimitas*, &

b) *lenitas*.

δ) *ve-*

(*) Sapientia summi Numinis suo respectu etiam ad voluntatem divinam pertinet.

(**) Vid. *D. Feuerlini* dissert. *de libertate suprema Numinis.*

γ) *veracitatem summam*, sive eminentissimam constantiam in manifestando vero, & in servandis tum promissionibus tum comminationibus.

3) ratione *potentiæ* agendi, *omnipotentiam*, sive facultatem ea, quæ vult, perficiendi, nimirum omnia, quæ neque agentis perfectionem neque contradictionem arguunt.

§. IV. Ex perfectissimo complexu & summa harmonia omnium attributorum divinorum oriuntur

α) *gloria Dei* absoluta seu *essentialis*, quæ eum tam in se glorioſum, quam creaturis ratione præditis reddit maxime venerabilem.

β) *omnisufficientia*, qua DEVS sibi ipsi infinito & eminentissimo modo sufficit.

γ) *beatitudo summa*, secundum quam DEVS summis atque infinitis perfectionibus constanter fruitur, summa & infinita voluptate gaudet, & in jucundissimo ejusdem sensu vivit.

PAR-

PARTIS I.
CAP. III.
DE
OPERIBVS DIVINIS,
ET ANIMÆ HVMANÆ IMMORTALITATE.

§. I.

Opera divina sunt primum *creatio mundi* & *providentia Dei.* Creationem mundi ex nihilo, eamque in tempore factam, ideo nemo non intelligit, quod mundi æternitas recte in numero impossibilium habetur; id quod clarissime demonstravi in *institutionibus* meis *theol. natur.* p. 13. sqq.

§. II. Providentiam Dei arguunt eiusdem sapientia, benignitas, atque potentia: eaque complectitur

α) *conservationem* rerum creatarum:

β) *gubernationem* rerum, quæ in hoc mundo geruntur; in qua utitur

1) caussis naturalibus,

2) caussis fortuitis ac contingentibus,

3) itemque caussis moralibus.

Is certe occultas nobis vias divinæ providentiæ facile animadvertet, *hunc*que *mundum optimum esse* intelliget, qui acumen mentis suæ convertit ad Dei omnipotentiam,

am, sanctitatem, justitiam, benignitatem, atque sapientiam; id quod demonstratum dedi in libro iam excitato p. 24. sqq.

§. III. Præcipuum objectum providentiæ divinæ est homo, qui constat ex anima & corpore. Animæ humanæ immortalitatem arguunt

α) animæ immaterialitas & spiritualitas:

β) Dei sapientia, omnisufficientia, sanctitas, bonitas, veracitas, atque justitia. Id quod demonstravi pariter in libro citato p. 18. sqq.

§. IV. Hæc autem immortalitas in eo consistit, ut

α) anima non intereat cum morte corporis:

β) in perpetuum exsistere perseveret:

γ) sine fine exserat operationes ipsi convenientes.

§. V. Deinde opera prorsus divina recte censentur

α) *miracula*, seu opera, quæ omnes naturæ vires, & finitam tum angelorum tum hominum potentiam, transgrediuntur atque superant.

β) *vaticinia*, seu prædictiones de rebus futuris ac mere fortuitis.

Illa sibi vindicat infinita supremi Numinis potentia; *hæc* ejusdem omniscientia.

PAR-

PARTIS II.
CAP. I.
DE
DEFECTIBVS ET INSVFFICIENTIA RELIGIONIS NATVRALIS AD SALVTEM.

§. I.

Religio naturalis, in *philosophia morali* a me explicata, habet defectus

α) historicos:
β) dogmaticos:
γ) morales:

Conf. *Theol.* mea *Naturalis* p. 46. 47.

§. II. Dei in homines imperium, hominum obligatio ad obedientiam legi divinæ naturali præstandam, sanæ rationi innotescunt. Sed quotidie homo violat legem divinam: ejusque peccata sequitur *reatus culpæ & reatus pœnæ.*

§. III. Accedunt macula corruptionis animæ, perturbatio conscientiæ, certissima Dei vindicta, pœnas infligens infinitas.

§. IV. Miserum igitur se sentit esse homo, ratione sana præditus. Quid? quod intelligit, deplorabilem in perpetuum fore conditionem suam, nisi ex tanta miseria ereptus cum Deo redire possit in gratiam.

§. V.

§. V. Hæc dum perpendit, in memoriam simul sibi revocat mentis suæ nobilitatem & immortalitatem: deinde divinam tolerantiam generis humani: tum sapientiæ divinæ magnitudinem: divitias denique bonitatis ejus & misericordiæ.

§. VI. Haud difficulter itaque cognoscit, placationem læsi Numinis gratiæque divinæ recuperationem non esse impossibilem, dummodo

α) summi judicis læsæ justitiæ infinitæ præstetur satisfactio infinita:

β) & anima salvandi post contractam corruptionis maculam expurgetur, ut hic decenter cum sanctissimo Deo conjungi queat & uniri.

§. VII. Sed nulla inter creaturas rationales nobis occurrit, quæ possit esse sponsor in locum peccatorum substituendus, seu *vicarius generis humani.*

§. VIII. Ille igitur sponsor ac mediator

α) debet esse homo:

β) debet esse homo peccati reatu haud contaminatus:

γ) debet esse vicarius spontaneus, ac sui juris:

δ) debet infinitæ Dei justitiæ præstare satisfactionem infinitam; ideoque necesse est,

a) ut polleat infinito intellectu:

b) ut habeat misericordiam infinitam:

c) ut

c) ut gaudeat potentia infinita, quo infinitum valorem habeat ipsius satisfactio.

Conf. dissertatio mea inauguralis *de characteribus sponsoris generis humani, horumque usu in theol. revelata*, Altdorfii an. 1740. d. 23. Maji habita.

§. IX. Talis vicarius manifestatus sit necesse est in peculiari *revelatione divina*; cujus necessitatem arguunt

α) defectus theologiæ naturalis, supra indicati:

β) Dei misericordia, sapientia, sanctitas, atque majestas. Conf. celeb. *Jo. Alphonsi Turretini* Opuscula varii generis tom. 2. p. m. 180. sqq.

§. X. Neque *oracula gentilium*, neque *Judæorum Talmud*, neque Alcoranus Muhammedanorum, divinæ revelationis nomen merentur; id quod demonstravi in *Theol.* mea *Natur.* p. 50. sqq.

§. XI. Veri & indubii characteres divinæ revelationis sunt liquido sequentes:

α) ut nihil contineat, quod evidentissimis sanæ rationis notionibus ac principiis contradicat: licet necesse sit, ut contineat mysteria Deo digna.

β) ut naturalis theologiæ defectus accurate & plene suppleat.

γ) ut de Deo rebusque divinis decenter loquatur.

δ) ut

δ) ut sit universalis, & tum de credendis & agendis perspicue exponat, tum insignita sit divinis signis atque operibus.

ε) ut, adversarios licet habuerit habeatque, divina tamen providentia eam integram conservaverit.

ζ) ut, cum ea conjuncta sit divina efficacia, ut carnalis hominum in perniciem præcipitatorum sensus refringatur, sicque peccator ad sanctitatem Deo placentem perducatur. Conf. libellus meus: Beweis, daß die Bibel Gottes Wort sey.

§. XII. Talem revelationem deprehendimus primum in *religione Patriarchali*: quam præ ceteris explanasse atque illustrasse mihi videor in *Theologia* mea *Patriarchali Systematica*.

§. XIII. Revelationem talem deinceps deprehendimus in *religione Mosaico-Judaica* seu *Israelitica*. Hujus observamus præcipua momenta brevibus: scilicet

α) *veritatem historiæ Judaicæ*. Namque

1) gens Judaica, hodie adhuc per orbem terrarum dispersa, est & antiquissima, & eximiis prærogativis insignita.

2) Moses sine dubio fuit vir θεόπνευστος (vid. *D. Joach. Langii* hist. eccl. V. T. p. 242. sqq.) immo eum fuisse miraculis & sapientia insignem, testantur ex gentilibus *Justinus* hist. lib. 36. cap. 2. *Diodorus Siculus*

culus bibl. hist. lib. 20. & *Strabo* geograph. lib. 16. p. 1103. sq. edit. Amstelod.

3) veritatem historiæ Mosaico-Judaicæ & Israeliticæ testimoniis gentilium confirmarunt celeberrimi Angli, *Humphredus Prideaux*, & *Samuel Schuckfordus*, in peculiaribus libris.

4) a Judæis abfuisse & voluntatem & facultatem libros suos sacros corrumpendi aut interpolandi, demonstravit celeb. *D. Jo. Gottl. Carpzovius* in *Critica Sacra V.T.* part. 1. cap. 3. pag. 90. sqq.

β) *divinitatem & præstantiam religionis Judaicæ.* Nam adparet in libris Mosaicis, historicis porro, atque propheticis,

1) rituum decentia ac typorum excellentia:

2) sacri styli dignitas atque majestas:

3) harmonia librorum ac dogmatum singularis:

4) mysteriorum Deo dignissimorum sublimitas:

5) solemnis νομοθεσία Sinaitica:

6) venerabilis miraculorum divinorum, ac vaticiniorum eventu comprobatorum, cumulus. Conf. S. R. *D. Langii* tom. 2. *Caussæ Dei* p. 109. sqq. & laudati *J. A. Turretini* differt. *de Jud. relig. veritate.*

§. XIV. Interea tamen *imperfecta* fuit *œconomia Judaica* theologiæ revelatæ, propter

pter *indolem temporariam*; quam liquido confirmant

α) clarissima dicta de cultu Levitico temporibus Messiæ abrogando & *nova œconomia* constituenda. Jerem. 31, 31. sqq. Ezech. 34, 23. 35, 25. sqq. Daniel. 9, 24. sqq. Hebr. 8, 13.

β) promissiones de Messia, & omnium gentium vocatione ad eundem. Jes. 11, 6. sqq. Psalm. 22, 27. sqq.

γ) cultus Levitici indoles egena & typica. conf. *b. D. Maji*, senioris, *œconom. temp. V. T.* & celeb. *D. Gürtleri* Theol. Proph. p. 374. sqq. 447. sq.

§. XV. In locum *imperfectioris* œconomiæ *Judaicæ* successit *perfecta Christiana*, & in locum *Messianismi promissionis* successit *Messianismus impletionis*.

§. XVI. *Veritas historiæ Christianæ* exsplendescit, dum perpendimus

α) librorum sacrorum N. T. integritatem; quam peculiaribus scriptis comprobarunt *D. Jo. Ge. Pritius*, *D. J. Christianus Klemmius*, & *D. Just. Wess. Rumpæus*.

β) vaticiniorum & adumbrationum V. T. luculentissimam impletionem. Vid. libellus meus: Beweis, daß JEsus von Nazareth der wahre Meßias sey.

γ) sacrorum scriptorum ἀξιοπιστίαν, & gentilium & Judæorum testimoniis confirmatam: quæ

collegerunt *Tobias Eckhardus*, *D. Paulus Antonius*, *D. Joach. Langius* & *L. Jo. Henr. a Seelen.*

δ) prædictiones novo fœderi proprias & partim eventu mox comprobatas, e. g. de apostolorum persecutionibus, de Hierosolymæ excidio, &c.

ε) doctrinæ Christianæ efficaciam tum ad beandam vitam præsentem, tum in conversione Judæorum & gentilium.

ζ) miraculorum a Christo ejusque apostolis patratorum mulititudinem.

η) mysteriorum fidei sublimitatem, & morum sanctitatem, quas Christiana religio exhibet atque commendat.

θ) typorum V. T. antitypos.

ι) excellentissimum legis & evangelii nexum.

κ) propagationem religionis Christianæ admirandam, martyrumque constantiam. Conf. *b. D. Jo. Alb. Fabricii* delect. argum. pro verit. relig. Christianæ.

PARTIS II.
CAP. II.
EXHIBENS IPSAM
PRÆPARATIONEM EVANGELICAM.
§. I.

Criteria veræ religionis communia sunt sequentia:

1) ab

1) ab omni impostura suspicione, & a superstine procul abesse:
2) viam optimam ad impetrandam de rebus divinis cognitionem certam ostendere:
3) solidam de origine, natura & statu priore hominum notitiam suppeditare:
4) convenientissime nos edocere de vera hominis felicitate:
5) sponsorem & redemptorem hominum indicare:
6) statum animæ & corporis post mortem omnium optime describere:
7) certissimam viam ad æternam felicitatem pandere:
8) mysteria Deo digna revelare:
9) providentiam divinam modo solatii plenissimo explicare:
10) vitiosis hominum propensionibus non indulgere:
11) principia, ordinem, ac media salutis, quam optime monstrare:
12) abesse a coactione violenta:
13) peccatoribus resipiscentibus solatia præbere.

§. II. Hæc criteria, in *Institutionibus* meis *Theol. Nat.* p. 53. sqq. pluribus demonstrata, habet profecto omnia *religio Evangelico-Lutherana;* quod ibidem p. 65. sqq. ostendi luculenter.

§. III. Ad huius præstantiam cognoscendam

dam sequentia nos etiam perducunt argumenta:

1) quod ea certo, stabili atque evidenti principio, divinæ nimirum revelationi, innititur.

2) quod emendationis sacrorum, a D. Martino Luthero susceptæ, necessitatem ipsi etiam Pontificii agnoverunt: teste illustri & magnifico theologo *D. Ern. Sal. Cypriano*, in *Hist. Aug. Conf.* cap. 1. & in *Hist. Papatus* p. 709. sqq.

3) quod illa salutaris reformatio in sacro codice fuit prædicta, nempe

α) Psalm. 116. tot. Conf. meas in hunc Psalmum *observationes exegeticas*.

β) Apocal. cap. 14. tot. Conf. meam *Chronotaxin Apoc. Joanneæ*.

4) quod ea, mirifice propagata & defensa, tranquillitatem reipublicæ, statusque civilis felicitatem, magnopere adjuvat.

S. D. G.

APO-

APODIXIS
THEOLOGIÆ
THETICÆ
REVELATÆ.

AVCTORE

D. LAVRENTIO REINHARDO.

PARS PRIMA

LIBROS I. II. ET III. COMPLECTITVR.

Εἴ τις μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις,
τετύφωται. I. Timoth. VI, 3. 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857208587/phys_0075
DFG

B. C. D.

PROLEGOMENA DE THEOLOGIA REVELATA.

§. I.

Theologia dogmatica revelata est *scientia practica, docens & confirmans ex sacra scriptura omnes fidei articulos, ut homo peccator per fidem in Christum aeterna potiatur salute.*

§. II. Recte dicitur *scientia*: demonstrat enim res certas atque evidentes; & licet non semper adsit *evidentia obiecti*, e. g. in mysteriis, tamen adest ubique *evidentia testimonii divini.*

§. III. Recte quoque dicitur scientia *practica*: omnes enim eiusdem conclusiones, si non *formaliter*, tamen *virtualiter* sunt practicæ. Tit. I, 1. 2. 1. Timoth. 3, 16.

IV. In hac scientia tradenda Theologi variis usi sunt *methodis* (*). Quidam suaserunt

(*) Vid. S. R. D. *Walchii* differt. *de variis theologiam tradendi methodis.*

ſerunt methodum *biblicam:* alii *catecheticam,* in qua reliquis antecellit *D. Conr. Dietericus:* alii *ſyſtematicam acroamaticam,* cuius amatores plerique fuerunt theologi; eſtque hæc vel *mere dogmatica,* vel *dogmatico-polemica,* vel *dogmatico-practica*: alii laudant & commendant methodum *fœderalem,* quæ ex noſtris placuit *D. Jo. Wolffg. Jægero*: alii methodum *biblico exegetico-dogmaticam,* e. g. *D. Wilh. Lyſerus, D. Jo. Henr. Majus, D. Chriſt. Eberh. Weismannus*: alii denique methodum *mathematico-demonſtrativam,* de qua minus magnifice iudicat vir celebratiſſimus *D. Chr. Matth. Pfaffius* in diſſert. *de methodo theologiam tradendi demonſtrativa.* Ego illam ſolam laudo methodum theologiæ theticæ, atque in perpetuum commendabo, quam commendavi in mea *methodo ſtudii theologici* cap. I.

§. V. In ipſo etiam ſyſtematico nexu articulorum fidei conſtituendo diſcrepant eruditiſſimi Theologi. Olim mihi præcipue placuit tum ordo articulorum a *b. D. Jo. Wilh. Baiero* conſtitutus, tum *œconomia totius Theologiæ* a *b. D. Joach. Frid. Schmidio* in tabulis exhibita. In præſentia autem ſe-

quens mihi nexus systematicus placet, quem hoc in libro sectabor:

LIBER I.

DE RELIG. CHRISTIANA.

Cap. 1. de articulis fidei.
2. de scriptura sacra.

LIBER II.

DE DEO.

Cap. 1. de Deo ejusque attributis.
2. de mysterio S. S. Trinitatis.
3. de creatione mundi, angelorum & hominum.
4. de providentia divina.

LIBER III.

DE DIVERSO STATV HOMINVM.

Cap. 1. de imagine Dei.
2. de lapsu protoplastorum.
3. de peccato.

LIBER IV.

DE PRINCIPIIS SALVTIS.

Cap. 1. de benevolentia Dei patris *universali* erga homines, & *speciali*, quam etiam *prædestinationem* vocant.
2. de redemtione per Christum.
3. de gratia Spiritus Sancti adplicatrice.

LI-

LIBER V.

DE ORDINE SALVTIS.

Cap. 1. de vocatione.
2. illuminatione.
3. converſione.
4. regeneratione.
5. pœnitentia.
6. juſtificatione.
7. renovatione & ſanctificatione.
8. conſervatione & perſeverantia fidelium.
9. glorificatione perſeverantium, cui opponitur damnatio æterna.

LIBER VI.

DE MEDIIS SALVTIS.

SECTIO I.

DE

MEDIIS SALVTIS EXHIBITIVIS.

Cap. 1. de verbo legis.
2. de verbo evangelii.
3. de ſacramentis in genere, & V. T. in ſpecie.
4. de ſacramentis N. T. ſpeciatim de baptiſmo.
5. de ſacra cœna,
6. de

6. de ecclesia.
7. de ministerio ecclesiastico.

SECTIO II.
DE
MEDIIS SALVTIS ISAGOGICIS.

Cap. 1. de morte.
2. de resurrectione mortuorum.
3. de judicio extremo, quod sequetur consummatio sæculi.

LIBRI I.
CAP. I.
DE ARTICULIS FIDEI.

Σύνοψις.

Articulus fidei quid? §. 1. *articulorum fidei variæ divisiones* §. 2. 3. *fundamentum fidei quotuplex?* §. 4. *analogia fidei quid?* §. 5. 6. *observationes præcipuæ* §. 7. 8.

§. I.

Credenda, quæ dogmaticæ theologiæ objectum materiale sunt, alias dicuntur *articuli fidei*, seu partes doctrinæ verbo Dei scripto revelatæ.

§. II. *Articulus fidei* in *strictiore* significatione præcise denotat *mysterium fidei* creditu

ditu ad salutem necessarium; at in *latiori* significatu articuli fidei dividuntur

α) in puros & mixtos; sunt autem

a) *articuli mixti*, qui non solum ex revelatione, sed etiam ex lumine naturæ, cognoscuntur, e. g. de existentia, attributis, & providentia Dei.

b) *articuli puri*, qui ex sola divina revelatione cognoscuntur, e. g. de mysterio Trinitatis, de incarnatione filii Dei.

β) in fundamentales & non-fundamentales; sunt autem

a) *articuli fundamentales*, qui salvo fidei fundamento ignorari, aut saltem negari, non possunt, e. g. de Christo, de justificatione per fidem.

b) *articuli non-fundamentales*, qui citra jacturam salutis & ignorari & negari, saltem in vtramque partem ventilari, possunt, dummodo absit pravus adfectus, e. g. de propagatione animæ, de fine mundi.

§. III. Articuli fidei *fundamentales* sunt

α) vel *primarii*, quorum distincta cognitio ad obtinendam fidem & salutem adeo necessaria est, ut, iis ignoratis, nec fides generari aut conservari, nec salus æterna impetrari queat. Hi a quibusdam dividuntur in

a) *an-*

a) *antecedentes*, e. g. de Deo trinuno, benevolentia Dei patris universali, de divinitate & humanitate Christi, &c.

b) *constituentes*, e. g. de peccato, Christi merito, fide salvifica, & plerique de salutis ordine, &c.

c) *consequentes*, e. g. de mediis salutis, de sanctificatione &c.

Conf. b. *Davidis Hollazii* Exam. Theol. p. m. 51. sqq.

β) vel *secundarii*, quorum simplex quidem ignoratio saluti non obest, pertinax vero negatio vel impugnatio fundamentum fidei labefactat, e. g. de personarum divinarum proprietatibus characteristicis, de communicatione idiomatum in Christo, &c.

§. IV. *Fundamentum fidei* est

α) vel *reale* seu substantiale, nempe Christus, unicus inter Deum & hominem mediator, 1. Corinth. 3, 11.

β) vel *dogmaticum* seu doctrinale, nempe complexus dogmatum, quibus Christi meritum, & cum eo connexa principia salutis, item media & ordo salutis, explicantur Ephes. 2, 20.

Conf. b. *D. Seb. Schmidii* diss. *de artic. fidei fund. & non-fund.*

§. V. Ex fundamentalium articulorum nexu oritur *analogia fidei* Rom. 12, 6. 7. Hæc autem est articulorum, præsertim fundamen-

damentalium, mutuus consensus atque perpetua harmonia, ex clarissimis sacræ scripturæ dictis resultans.

§. VI. *Analogiæ fidei* fundamenta sunt

α) commune omnibus scriptoribus sacris donum inspirationis divinæ: &

β) communis omni tempore modus perveniendi ad salutem, licet sub diversa œconomia.

§. VII. Necessariæ hic sunt *observationes* quædam magnifici *D. Chr. M. Pfaffii* (*), theologi Tübingensis:

1) Ad articulum fidei fundamentalem pertinet

α) ut in tabulis sanctioribus creditu cognituque necessarius esse haud obscure adfirmetur,

β) ut evidenter in illis expressus conspiciatur,

γ) ut a quovis homine, indocto quoque & illitterato, capi possit,

δ) ut sine eo nec fides gigni servarive, nec conversionis sanctificationisve ratio constare, salusque obtineri possit,

ε) ut semper, ubique & ab omnibus fuerit creditus (**).

2) Eo magis aliquid fundamentale cognituque necessarium est, quo major ejus ad pietatem in animo gignendam, hominisque conversionem

(*) in dissert. *de fidei Christianæ articulis fundamentalibus.*

(**) loc. cit. pag. 17. 18. 19. 20. 21.

nem efficiendam, est necessitas. Ergo exsistunt etiam *articuli* fundamentales *practici* (*).

3) Quorum *dissensus fundamentalis* est, illi iisdem sacris uti nequeunt. 2. Cor. 6, 14. sqq. Gal. 1, 8. 9. 2. Petr. 2, 1. 2. Joan. 10. Hinc omnis illa unio, quæ veritati adversa est, falsa est atque damnanda (**).

4) Sine analogia fidei, quid fundamentale, quid minus sit, nosse haud possumus (***).

5) Cum articulorum fidei intimum quoddam sit, quo secum invicem cohærent, vinculum; patet, unum ex altero lucem haud minimam accipere, unumque juxta analogiam alterius explicandum esse (†). Conf. S. R. *D. Christoph. Zelleri* dissert. *de analogia fidei*, an. 1677. sub præsidio *b. D. Abrah. Calovii* habita.

§. VIII. In hisce meis *theticæ theologiæ institutionibus* ita ego articulos fidei demonstrabo, ut ex singulis adlegatis dictis biblicis strui possit *syllogismus convincens*. Adest igitur ἀπόδειξις *Biblica*, secundum monitum apostoli 1. Corinth. 2, 4. quæ sola est *demonstratio*, sanctissima theologia vere *digna*.

LIBRI

(*) loc. cit. pag. 24. sqq.
(**) loc. cit. pag. 28. sq.
(***) loc. cit. pag. 34. sq.
(†) itidem loc. cit. p. 34.

LIBRI I.
CAP. II.
DE
SCRIPTVRA SACRA.

Σύνοψις.

Definitio §. I. *variæ revelationes divinæ* §. 2. sqq. *auctor prim. scripturæ* §. 5. sqq. *materia scripturæ ex qua* §. 14. sqq. *forma scripturæ* §. 18. sqq. *materia scr. circa quam* §. 26. sqq. *finis scripturæ* §. 30. sq. *adfectiones scripturæ, divina auctoritas* §. 32. seqq. *efficacia* §. 36. sq. *perfectio* §. 37. seq. *perspicuitas* §. 39. seqq.

§. I.

Scriptura sacra est volumen librorum, DEO inspirante, per prophetas & apostolos, partim Hebræis partim Græcis litteris, consignatorum, hominem peccatorem in omnibus, quæ creditu & factu necessaria sunt, erudiens, ut fidem in Christum consequatur, DEOque reconciliatus sancte vivat, ac tandem vitam impetret æternam.

§. 2. Revelatio divina specialis statim post hominum lapsum erat necessaria; hinc

protoplastis data est revelatio de modo consequendi æternam salutem Gen. 3, 15. Quæ deinceps non tantum propagata, verum etiam amplificata subinde, luculentiusque per alias revelationes, illustrata est atque explanata.

§. 3. Modus revelationum varius fuit ac multiplex Hebr. 1, 1. Facta est enim revelatio vel immediate, vel mediate. *Immediate* a DEO facta est

α) vel *simpliciter*, sine ullo signo, per sensionem internam, 2. Sam. 23. 2. Matth. 10, 19. 20. Luc. 21, 14. 15. 1. Petr. 1, 11.

β) vel *symbolice* sive sub certis signis, oblatis

1. *imaginationi*, vel per somnia diuina Gen. 28, 12. Matth. 2, 22. vel per simpliceem repræsentationem Jes. 6, 1. 2. Ezech. 1, 3. seqq. vel per ecstasin, revelatione vel subjuncta Dan. 10, 8. 9. vel præmissa Act. 10, 9. seqq.
2. *sensibus externis*, Num. 7, 8. 9. 1. Sam. 3, 4. seqq. Marc. 1, 11. 9, 7. Luc. 9, 35. Huc referuntur divinæ voluntatis revelationes per *sortes divinatorias* Jos. 7, 14. 1. Sam. 14, 42. Act. 1, 26. & per *Vrim* & *Thummim* Exod. 28, 30. 1. Sam. 28, 6.

Conf. beati *D. Wernsdorfii* dissert. *de divinis revelationibus earumque varietate*; & beati *D. G.*

D. G. W. Wedelii programma *de quæsitis per Vrim & Thummim.*

§. 4. *Mediate* fiebat revelatio per angelos Dan. 9, 21. Luc. 1, 19. 26. & viros θεοπνεύστους. Nec creatos solum angelos, sed & ipsum DEI filium, angeli specie, hominibus aliquando adparuisse, ex sacris litteris constat; ut ostenderet, se aliquando in plenitudine temporis ἔνσαρκον venturum. Vide Gen. 18, 1. seqq. Judic. 13, 18.

§. 5. Licet ars scribendi jam ante diluvium (propter dictum Judæ v. 14.) mihi viguisse videatur; tamen scribendi initium multis videtur ipse DEVS fecis se in consignatione Decalogi Exod. 31, 18. 32, 15. 16. qui etiam scriptionem identidem præcepit Exod. 17, 4. Deut. 27, 3. 31, 19. Jos. 24, 26. Jes. 34, 16. Jerem. 36, 2. 4. Dan. 12, 4. In novo fœdere sæpius injicitur mentio scripturæ Vet. Testamenti, & mandati divini de consignandis rebus a Christo & Apostolis gestis, itemque de doctrinis ab iis propositis, præsertim Joan. 20, 30. 31. & alibi.

§. 6. Scriptura *Bibliorum* nomine insignitur propter varios libros 2. Tim. 3, 15. 16. Vocatur autem *sacra*, cum propter origi-

nem, quam habet, tum propter doctrinam, quam continet, tum propter finem, ad quem ducit.

§. 7. Auctor sacræ scripturæ primarius, seu *caussa efficiens principalis*, est DEVS trinunus, Pater, Hebr. 1, 1. 2. Rom. 1, 1. 2. Filius, Joan. 1, 18. Luc. 1, 68. 70. 2. Cor. 3, 3. Rom. 15, 18. & κατ' ἰδιοποίησιν Spiritus Sanctus, 2. Petr. 1, 21. 1. Cor. 2, 12. 13. Num. 11, 25. 29.

§. 8. Inspiravit autem DEVS non solum res, sed rerum etiam ordinem, & verba omnia. Generatim inspiratio tam ad dicta, quam ad scripta sacrorum scriptorum sese extendit, ut cognoscimus ex Num. 11, 25. seqq. 1. Sam. 10, 5. 10. Matth. 10, 19. 20. 1. Cor. 2, 4. Quod autem inspiratio rerum litteris consignatarum non ad *res* duntaxat, sed ad *verba* quoque & *phrases*, sese extenderit, cum manifestis sacri codicis testimoniis, tum solidissimis rationibus demonstratur.

§. 9. Quod ad clarissima sacri codicis testimonia attinet, sequentia supremum inter ea locum sibi vindicant: Exod. 4, 12. 15. 34, 27. 28. Jes. 59, 21. Jerem. 1, 6. 9. 36, 2. Luc. 21, 14. 15. Matth. 5, 18. Luc. 16, 17. Evidentis-

dentissima tamen est sancta Servatoris promissio, quæ exstat Matth. 10, 19. 20. ubi τὸ respicit materiale seu *res*, πῶς respicit formale seu *verba*. Si autem verba *loquentium* doctorum ecclesiæ sunt verba ipsius Spiritus Sancti; quanto magis verba *scribentium* Spiritui S. vindicanda erunt? Quæ enim scripserunt, in ecclesiæ universæ omnium temporum commodum atque emolumentum protulerunt litterisque consignarunt.

§. 10. Jam ut argumenta, quæ sana ratio suppeditat, subnectam, ordinis exigit ratio. Verborum autem & phrasium inspirationem facile agnoscemus, si perpendamus,

α) inter res & voces indissolubile intercedere vinculum:

β) tantam esse mysteriorum sublimitatem, ut, nisi verba ab ipso DEO accepissent, tam sublimia eloqui mysteria haud potuissent scriptores:

γ) Apostolorum, tam ingenio quam arte rudium, ineptitudinem:

δ) donum linguarum fuisse nihil aliud, quam verborum adhuc ignoratorum inspirationem:

ε) maximam in verbis scripturæ occurrere emphasin:

ζ) styli prophetici & poëtici summam esse sublimitatem:

α) multa, quæ a viris θεοπνεύστοις sunt exarata, fugisse eorum intellectum, præsertim in scriptis propheticis; & plurima ex eorum fluxisse calamo, quæ absque immediata quadam DEI operatione ex nuda memoria depromi non potuissent:

β) quæ scribebant sacrorum librorum conditores, necessario accommodata fuisse non præsentibus solum, sed etiam absentibus, quin futuris sæculis.

Hæc omnia copiose persecutus est celeberrimus *D. Frid. Apolphus Lampius*, in dissert. præstantissima *de divina inspiratione*.

§. 11. Nec est, quod incongruum esse putes, verborum inspirationem ex ipsius scripturæ testimoniis comprobare. Non enim exstitit veritas fide dignior præstantiorve illa, quam DEVS nobis in sacro revelavit codice. De reliquo *modus inspirandi* positus fuit in peculiari impulsu, suggestione, & directione; quæ directio locum in primis habuit in rebus iam antea notis. Conf. summe reverendi *D. Jo. Gustavi Reinbeckii* præstantissimas *Meditationes in August. Confession.* tom. I. p. 79. §. 40.

§. 12. Causa *externa* DEVM ad scripturariam revelationem *impellens* fuit ea generis humani conditio, quæ scriptis egebat

bat monumentis, imminuto humanæ vitæ ſpatio, irrepentibus traditionis genuinæ corruptelis, & accedente hominum informandorum infirmitate atque memoriæ imbecillitate: ad quam acceſſit ingens hominum miſeria Pſalm. 119, 105. Cauſſæ huic impulſivæ externæ reſpondet etiam *interna*, DEI miſericordia, generis humani ſalutis cupidiſima Epheſ. 1, 9.

§. 13. Auctores ſacræ ſcripturæ ſecundarii, ſive *cauſſa efficiens minus principalis* & inſtrumentalis, fuerunt amanuenſes DEI, quorum miniſterio Spiritus S. uſus eſt in conſignandis ſacris litteris: in V. T. *prophetæ*, hac voce in latiori accepta ſenſu; in N. T. *apoſtoli:* viri ſancti, & in ſcribendi actu expertes erroris.

§. 14. *Materia ſcripturæ ex qua*, ſive illud, ex quo ſcriptura ſacra compoſita eſt, ſunt phraſes, periodi & verba, in V. T. ſermone Hebraico, in N. T. ſermone Græco, ita conſignata, ut Spiritus Sanctus in ſuggerendis verborum conceptibus indolem & conditionem ſacrorum amanuenſium reſpexerit: quam ob rem genus ſcribendi alicubi eſt lenius, alibi gravius; alicubi humilius, alibi ſublimius.

§. 15. Libros V. T., sive libros ante Christi incarnationem consignatos, lingua Hebraica fuisse conscriptos, constat inter omnes. Nimirum inter subsidia conservandæ & propagandæ veræ religionis haud postremum erat lingua illa, qua DEVS se suamque voluntatem primum patefecerat hominibus, hujusque voces ac formulas ipse DEVS, pro infinita sua sapientia, ad mysteria cœlestia, cum humano intellectu communicanda, censuit quam maxime adpositas. Linguam vero Hebraicam primævam fuisse, præter ceteros demonstrarunt summe reverendi Viri, *Val. Ern. Læscherus* lib. I. cap. 3. *de caussis linguæ Hebrææ*, & *Jo. Gottl. Carpzovius* in *Crit. Sacr. V. T.* pag. 178. seqq.

§. 16. Paucæ quædam pericopæ Chaldaicis litteris sunt consignatæ Dan. 2, 4. seqq. 3, 4, 5, 6, 7. Esdr. 4, 8. 6, 19. 7, 10 -- 27. Jerem. 10, 11. Aliis in locis e. g. Gen. 31, 47. leguntur voces singulæ. Ea nimirum a Spiritu S. consignata sunt Chaldaice, in quibus regum Chaldæorum scripta, colloquia, & quæ cum illis aut Chaldæis acta sunt, recensentur. Jerem. 10, 11. concepta verba præscribuntur Israelitis, quæ Chaldæis, ad idololatriam eos sollicitantibus, regerere debebant.

bebant, Jes. 14, 4. Jerem. 25, 26. & 51, 42. prophetæ κατὰ μίμησιν ludificantur gentes ex ipsarum lingua. De reliquo Spiritus DEI linguam, aliquando a Messia in concionibus ac miraculis adhibendam, honorare & sanctificare voluit; qua de re in omnibus librorum V. T. ordinibus quædam occurrunt Chaldaica. Vid. laudati *Carpzovii* Crit. sacr. p. 275. seqq. & beati *Aug. Pfeifferi* Crit. sacr. p. 32. sqq. adde p. 49. sqq.

§. 17. In conscribendis libris N. T. placuit DEO Græco uti sermone, qui inde a multis annis inter Judæos pariter atque omnes fere gentes, in quibus ecclesia Christiana per præconium apostolorum plantanda erat, ipso adhuc tempore consignatæ N. T. scripturæ, fuit usitatissimus. Puram stylo novi fœderis inesse Græcitatem, eruditissimi viri agmine quasi facto adhuc commonstrarunt, quorum in numero *Erasmus Schmidius*, *Jo. Conr. Schwarzius*, *Georgius Raphelius*, *Georg. Wilh. Kirchmajerus*, aliique, primum occupant locum; qua de re laudati sunt a summe reverendo *Jo. Christoph. Wolffio* in *cucris crit. in N. T.* Facere non possum, quin celeb. D. *Jo. Christiani Klemmii* judicium, quod *pag. 23. Part. I. Crit.*

sacr. in N. T. exstat, hoc loco subnectam: *dico*, inquit, *stylum N. T. esse singularem, non impurum, non barbarum, non solœcum, sed peculiarem suam puritatem habentem, in quo omnium dialectorum Gracarum vestigia deprehendantur, qui pluribus egregiis Atticismis, vocibus, phrasibus, constructionibus, particulis, & figuris elegantibus gaudeat, qui vero etiam in pluribus fontes Hebræos, phrases V. T. & idiotismos sanctos sapiat, atque ex auctoribus profanis ubique intelligi nequeat.* Utilitatem styli LXX. Interpretum in explanando novo fœdere in peculiari dissertatione demonstravit summe reverendus D. *Jo. Henr. Michaelis*; conf. celeb. D. *Jo. Alb. Fabricii* biblioth. græc. lib. 3. c. 12. §. 7.

§. 18. *Forma* Scripturæ sacræ *externa* est stylus sermonisque character in libris utriusque Testamenti: *interna* vero est sensus scripturæ θεόπνευστος, vocibus a Spiritu S. dictatis expressus. Per *sensum orationis* intelliguntur conceptus rerum, qui per verba scribentis aut loquentis in animis legentium vel audientium producuntur. Sensus igitur fundamentum in fine sermonis vel scripturæ quærendum est. Quodsi ergo hæc transferantur ad sacra, *sensus sacræ scriptu-*

ræ

pturæ est id, quod sacri scriptores ex inspiratione divina in mente habuerunt, & per verba ceu signa hominibus intelligendum exhibuerunt.

§. XIX. Sensus scripturæ dividitur in *litteralem* & *mysticum:* ille est conceptus ex verbis recte intellectis redundans, divinæque intentioni conformis, & ideo litteralis dicitur, quia ex verbis & litteris, tum per se, tum in nexu grammatico positis, profluit, unde etiam recte *grammaticus* adpellatur; hic non proxime per verba, sed per res vel personas, verbis designatas, a Spiritu S. intenditur.

§. XX. Sensus litteralis unius loci non potest esse nisi unicus; id quod demonstrant

α) mentis humanæ indoles,
β) finis sermonis ad docendum directi,
γ) necessaria scripturæ sacræ cum perspicuitas tum certitudo.

§. XXI. Præterea sensus litteralis est verus, spiritualis, illuminativus & salvificus. Incommode igitur ac male quidam discrimen constituunt inter sensum litteralem, qui mortuus sit; & spiritualem, qui mera sit vita: illum irregenitis, hunc regenitis tri-

tribuentes. Idem profecto in se est sensus, si objectum spectes, a quocunque subjecto percipiatur: idem objectum: idem principium, nempe vtrobique illuminatio Spiritus Sancti, ubique verbo suo præsentis. Sensus enim hauritur ex verbo, non hominis, sed DEI omnipotentis, quod est spiritus & vita Joann. 6, 63. 1. Jo. 5, 6. 8. Id quod copiosius demonstratum dedit beatus *D. Martinus Chladenius* in *institut. exeget.* pag. 207. seqq. Tolerari tamen posse arbitror distinctionem sensus scripturæ, ratione subjecti habita, in *carnalem & salutarem:* ille est in iis, qui per dominium carnis veri sensus effectum in se impediunt, quo minus fiat salutaris; hic est in iis, qui cognitæ veritati locum relinquunt. Vid. beati *D. Jo. Fechtii* dissert. *de sensu sacrarum litterarum carnali.*

§. 22. Sensus litteralis scripturæ exprimitur vel verbis propriis; vel figuratis, seu tropice & improprie accipiendis. Hinc nascitur distinctio in sensum *proprium* & *figuratum.* Sensus figurati fundamentum suppeditant

a) obiecti sublimioris indoles, quod luculentius patebit animo, si sub vocabulis tropi-

tropicis, similitudinem secum ferentibus, veluti adumbretur:

β) ipsa necessitas, quæ partim ex linguarum paupertate partim ex intima rerum natura oritur:

γ) illustrationis rerum per similia utilitas.

§. 23. Vt autem sciamus, ubi proprius, ubi improprius, sectandus sit sensus; sequentia probe teneamus oportet præcepta:

α) in una eademque voce unius ejusdemque loci, semel posita, non potest simul esse sensus proprius & tropicus:

β) a sensu autem proprio sine urgente necessitate non est recedendum; tum vero urget nos necessitas,

1) quando verba proprie accepta aliquid continent, quod in fidei doctrinam, aut morum præcepta, alibi in scripturis tradita, impingit:

2) quando Spiritus S. alibi de eadem re verbis propriis & clarioribus mentem suam exponit:

3) quando ex propria significatione aliquid resultat, quod plane sit ineptum, & veritati aperte contrarium:

4) quando sensus proprius pugnat cum aliquo attributo divino e. g. Joan. 14, 23. Vid. *M. J. C. R. trifolium theologicum*, §. 21. & *Chladenii* instit. exeg. pag. 214. 215.

§. XXIV.

§. XXIV. Dudum vero theologi, rem recte dijudicantes, discrimen constituerunt

α) inter sensum a Spiritu S. intentum, & intentum ab interprete: prior tantum est unicus, posterior ob defectus & nævos interpretantium est multiplex.

β) inter sensum innatum, & illatum: ille solus est genuinus, hic ex ingenio interpretis nascitur.

γ) inter sensum genuinum, & allusionem per vocabulum aliquod ad rem alibi descriptam.

δ) inter sensum & accommodationem: ille DEI est; hic hominum, & habet se consecutive ad sensum prius recte erutum.

ε) inter sensum, & usum seu adplicationem.

§. XXV. Mysticus ibi indagandus atque amplectendus est, ubi illum a Sancto Spiritu intendi ex certis constat criteriis: ergo neque ubique fere locorum eum venemur, neque nimis angustos ei constituamus terminos. Criteria sensus mystici & indicantur & illustrantur a summe reverendo *D. Jo. Jac. Rambachio* cum in *Hermen. Sacr.* lib. I. cap. 3. §. 12. 13. tum in peculiari *de sens. myst. criteriis* commentatione. Generatim *criteria sensus mystici* sunt

α) vel *ipsi textui insita* e. g. quando rei vel personæ cuidam nimis illustria tribuuntur

præ-

prædicata, e. g. Gen. 49, 9. coll. Apoc. 5, 5. Dan. 11, 36. coll. 2. Theſſ. 2, 4.

ב) vel *aliunde accerſenda*, ſi

א) alibi docetur, rem vel perſonam aliquam in alterius ſymbolum fuiſſe deſtinatam e. g. Gen. 21, 9. 10. coll. Galat. 4, 22. 23.

ב) antitypus exprimitur nomine typi e. g. 1. Cor. 5, 7.

ג) manifeſta eſt novi Teſt. aliorumque locorum alluſio e. g. Pſalm. 51, 9. 17.

ד) ſacer textus typos perſonales & reales implicite innuit, e. g. in hiſtoria *Joſephi & Simſonis*.

Specialia tradit laudatus D. *Rambachius*.

§. XXVI. *Objectum ſcripturæ* ſive *materia circa quam* in genere ſunt omnes res ſacræ, quas commemorant libri ſacri: nam licet non æque omnes res hiſtorico ſtylo conſignatæ cognitu ſint neceſſariæ, ſuo tamen modo omnes ad ædificationem pertinent. Speciatim vero & primario objectum ſcripturæ ſunt articuli fidei & præcepta moralia, ſive *credenda* & *agenda*.

§. XXVII. *Libri Biblici* Veteris Teſtamenti dividuntur in Canonicos & Apocryphos. *Canonis* ſacri nomen e Paulo hauſtum Galat. 6, 16. & quæſtio de eo magni ſem-

semper momenti in ecclesia habita fuit. *Canonici* libri sunt, qui

α) lingua primæva a viris θεοπνευστοις sunt conscripti. Vid. *b. D. Jo. Henr. Maji*, senioris, dissert. *de canone Scripturæ S.* & celeb. *Burgii* Theol. Thet. p. 69. sq.

β) testimonium de Messia continent. Act. 10, 43.

γ) in N. T. ad confirmandam doctrinam allegantur. Hebr. 8, 6. coll. 2. Cor. 3, 6. & Act. 18, 28. Conf. *b. D. Chr. Sontagii diss. de allegatis apocryphis in N. T. fictitiis.*

δ) nihil continent, quod analogiæ fidei aliorumque librorum canonicorum commemorationi sit adversum. Rom. 12, 6. 7. coll. Ephes. 4, 5.

ε) antiquæ ecclesiæ Judaicæ testimonium habent. Rom. 3, 2. Vid. *b. Jo. Chr. Wolffii* Bibl. Hebr. part. 2. cap. 1. p. 50-62. & *b. Jo. Frickii* librum mox laudandum cap. 1. §. 1. 2. 3. 4. qui & *Josephi*, historici, testimonium egregie vindicavit.

Hos ipse enumerat Christus Luc. 24, 44. quem locum egregie illustrat celeb. *Joan. Christoph. Wolffius* in *cur. crit. in IV. Evangel.* pag. 394. sqq. Ceterum de libris canonicis verbosius disserui in libello meo: **Beweiß, daß die Bibel GOttes Wort sey,** cap. 4. De libris vero *apocryphis* exposui in dissert. *de libro Sapientiæ*, quæ adjecta est

meæ

meæ *Historiæ Græcæ linguæ*. Errores singulorum librorum apocryphorum accurate recenset b. *D. Justus Christoph. Schomerus* in *collegio Anti-Pontificio* p. 103. sqq. Conf. S. R. *Jo. Frider. Burgii* Instit. *Theol. Thet.* p. m. 69. sqq. Probe memoria teneamus necesse est,

1) Christum & apostolos libros V. T. canonicos commendasse & allegasse:
2) hunc canonem ab ecclesia veteri agnitum & susceptum fuisse:
3) codices sacros in ecclesiis cura presbyterorum esse adservatos:
4) exstitisse *tabularia sacra* in ecclesiis celebrioribus:
5) traditionem de canone V. T. certam esse atque immobilem;

quæ omnia eruditissime persecutus est celeb. *Jo. Frickius* in commentat. *de cura eccles. veteris circa canonem scripturæ* cap. 2. p. m. 45. sqq.

§. XXVIII. Libri V. T. canonici commode dividuntur in *historicos*, dogmatico-*morales*, & *propheticos*: illi continent vitas patriarcharum & res gestas Israelitarum: isti sunt libri Jobi, Davidis & Salomonis, complures tamen psalmi libris propheticis adnumerandi sunt; hi in IV. majores, & XII.

minores dividuntur. Judæi libros V. T. dividunt in *legem*, *Prophetas*, & *Hagiographa*; de qua divisione agit beatus *Pfeifferus* in *Critic. Sacr.* pag. 5. seqq. qui etiam pag. 352. sqq. de libris apocryphis differit.

§. XXIX. *Libri N. T. omnes*, in quibus evangelium Matthæi primum, apocalypsis Joannis ultimum, locum occupat, *sunt Canonici:* licet a quibusdam libri novi fœderis distinguantur in *primi* & *secundi ordinis* libros; de quo discrimine exponunt beatus D. *Fridem. Bechmannus* in *adnot. in comp. Hutteri* pag. 29. seqq. & beatus *D. Buddeus* in *instit. theol. dogm.* lib. I. cap. 2. §. 32. Conf. beati *D. Abrah. Calovii* Syst. theol. Part. I. pag. 513. De reliquo libri N. T. dividuntur in *historicos*, *dogmaticos*, & *propheticum;* videatur *b. D. Jo. Ge. Pritii introd. in lectionem N. T.* aucta observationibus S. R. *D. Car. Gottl. Hofmanni:* nec non *b. Jo. Frickii* Comment. *de cura vet. eccl. circa canonem sacræ scripturæ* cap. 3. p. m. 86. sqq. ubi sequentia erudite excussa legimus:

1) canonis constituendi magnam fuisse necessitatem. 2. Cor. 10, 13. 2. Thessal. 2, 2. 3, 17.

2) testimonium ecclesiæ publicum necessarium fuisse ob pseudo-apostolos, & spuria hæreticorum scripta:

3) ca-

3) canonem N. T. non demum ab ecclesia sæculi II. sed ab ipsis apostolis esse repetendum, 2. Petr. 3, 15. 16. Apoc. 22, 18. 19.

4) *constitutiones apostolicas*, vulgo sic dictas, nullius esse ponderis:

5) canonem N. T. habere & interna & externa argumenta:

6) constitutum fuisse N. T. canonem in congregatione virorum apostolicorum *Joanne* apostolo præside, & moderante negotium *Polycarpo*, qui ideo ad Anicetum, episcopum Romanum, legatus fuit nomine totius Orientis.

§. XXX. *Finis cui scripturæ sacræ* sunt in genere omnes homines, sine ullo status ecclesiastici & civilis discrimine; speciatim vero illi, qui aut ecclesiæ doctores jam sunt, aut evadere in posterum cupiunt, 2. Tim. 3, 16. 17. Omnibus autem hominibus concedendam esse scripturæ sacræ lectionem, tam manifestum est, quam quod maxime:

α) quia naturali obligatione homo ad comparandam notitiam salutarem impellitur:

β) quia in veteri Israelitica & primæva Christiana ecclesia lectio verbi divini omnibus concessa fuit atque commendata, Deut. 6, 6. 7. 31, 11. 12. Jes. 34, 16. Joann. 5, 39. Act. 17, 11. 8, 26. seqq.

γ) quia Christianorum est tradita diligenter examinare, &, ne veri specie decipiantur, cave-

re, Matth. 7, 15. 1. Joan. 4, 1. 1. Thess. 5, 21. Gal. 1, 19.

β) quia DEUS per sacram scripturam omnium saluti hominum prospicere & consulere voluit; qua ex re apostoli ad integras ecclesias omniaque earum membra suas miserunt epistolas.

γ) quia ex lectione sacrarum litterarum summa ad lectores redundat utilitas Rom. 15, 4. Eph. 6, 17.

Simul autem ex his adparet, cuilibet concedendum esse translationis scripturæ in linguam vernaculam usum. Id quod sex gravissimis rationibus comprobat summe reverendus *D. Christianus Læberus* in dissert. inaug. *de omnibus concedenda scripturæ sacræ lectione.*

§. XXXI. *Finis cujus* sacræ scripturæ

α) *primarius*, & quidem

1) *ultimus* est salus hominum æterna Joan. 20, 31. 1. Timoth. 4, 16.

2) *intermedius* est vera fides in Christum Act. 10, 43. Rom. 10, 14. seqq.

β) *secundarius* est, ut theologus fiat aptus ad docendum, & ad functiones ecclesiasticas recte & utiliter peragendas 2. Tim. 3, 15. 16. 17. Rom. 15, 3.

§. XXXII. Restant quatuor sacræ scripturæ *adfectiones* sive proprietates, *auctoritas*

tas divina sive αὐθεντία, *efficacia supernaturalis, perfectio*, & *perspicuitas*. Quod ad divinam scripturæ sacræ auctoritatem attinet, qua intellectus hominis ad adsensum, & voluntas ad obsequium movetur; probatur ea & per argumenta *fidem divinam*, seu *certitudinem* & convictionem plenam, gignentia, & per argumenta *fidem humanam*, seu *probabilitatem* & persuasionem, producentia.

§. XXXIII. Argumenta *fidem divinam* gignentia sunt

α) *internum Spiritus Sancti testimonium*, quo per verbum DEI attente lectum, vel auditu perceptum, cor hominis pulsat, intellectum illuminat, & voluntatem ad obsequium flectit, ut homo illuminatus ex internis motibus spiritualibus vere sentiat, verbum sibi propositum ab ipso DEO esse profectum, 1. Joann. 5, 6. 1. Thessal. 1, 5. 6. 2, 13. Act. 2,37. 8,36.37. 16,14. seqq. Rom. 1,16. Conf. *b. D. Wideburgii* syst. *theol. thet.* p. 61. sqq.

β) *vaticiniorum complementum*. In sacris Bibliis continentur vaticinia de rebus futuris, quæ omnem humanam sapientiam superant, & quæ, cum propter longinquitatem temporis, quo postea impleta sunt, tum propter occultas earum causas, a nemine prævideri potuerunt;

quoniam intellectus humanus finitus est suisque circumscriptus limitibus, ideoque futura contingentia, quæ nondum sunt, neque in se, neque in suis signis, menti per ideas obversari queunt. Neque homines caussis efficientibus semper præsto sunt, neque impedimenta effectuum removere possunt, neque causarum vel necessario vel contingenter concurrentium confluxum influxumque præscire possunt; quid? quod futura contingentia, quorum causæ efficientes longinquo tempore interjecto demum exsistunt, ab hominibus prædici nequeunt: multo minus ea, quæ a liberrima infiniti Numinis voluntate dependent, & futura conditionata. Soli igitur DEO omniscio, ceu vero & unico earum auctori, tribuendæ sunt futurarum fortuitarumque rerum prædictiones. Vaticinia de Messia impleta esse in peculiari libello demonstravi. Ceteris quoque omnibus respondisse eventum, e. g. de interitu regni Chaldæorum & Babylonicorum Jes. 13, 14. 21. de fine captivitatis Babylonicæ Jes. 44, 28. 45, 1. de excidio Hierosolymæ Luc. 19, 41. seqq. de propagatione religionis Christianæ, de Anti-Christo, &c. nemo est, qui negare possit. Biblia igitur divinam auctoritatem habeant necesse est. Conf. *D. Buddei* thes. *de atheismo* cap. 7. §. 4. & celeb. *D. Reinbeckii* Medit. in *Aug. Conf.* Part. I. pag. 66. seqq. nec non S. R. *D. Jo. Gottl. Carpzovii*, dissert. *de ecclesiæ Judaicæ prophetis*, &c. *D. Justi*

Justi Christ. Schomeri colleg. *novis. controv.* p. m. 98. sqq. Et perpende dicta Jes. 41, 20. sqq. & Jerem. 44, 6. 7.

γ) *miracula* proprie sic dicta, quibus doctrina, in sacra scriptura revelata, confirmata est. *Miracula sunt opera, quæ omnes naturæ vires supergrediuntur, ideoque DEUM ipsum habent auctorem.* Potentia DEI infinita, & ad omnia, quæ contradictionem non involvunt, sese extendens, nulla nos dubitare finit ratione, quin ordinem naturæ ab ipso constitutum suspendere queat; id vero subinde ab eo factum esse, exempla certissima & nullam exceptionem admittentia testantur. DEUM edere posse miracula, luculenter demonstravit celeb. *D. Jo. Jac. Syrbius* in *philos. prim.* Part. II. cap. 3. §. 11. 12. seqq. DEUM vero edidisse miracula & in V. & in N. T. neque Judæi, neque gentiles, neque Muhammedani negare audent; vide summe reverendi *Lamperti Gedickii* prim. verit. relig. Christ. pag. 142. seqq. & *Hug. Grotii*, lib. I. §. 16. *de verit. rel. Christ.* pag. 89. seqq. editionis *Kœcherianæ*. De miraculis Mosis egregie disserit celeb. *Jo. Alphonsus Turretinus* in diss. *de veritate religionis Judaicæ* sect. 2. Quæ contra miracula Mosis adfert maledictus *Bened. Spinoza*, accurate refellit celeb. *Buddeus* in thes. *de atheismo* cap. 7. §. 5. Miracula a Christo fuisse patrata, in libro *de vero Messia* quam clarissime ostendi. Quod si igitur DEUS miracula perpetravit; fieri

non potuit, ut ad ſtabiliendam falſam doctrinam perpetraverit. Si vero miracula perpetravit ad confirmandam doctrinam cœleſtem; ſacra Biblia cœleſtes veritates contineant neceſſe eſt. De criteriis divinorum miraculorum expoſui in *theol. mea natur.* Part. I. cap. 5. Conf. clariſſimi *D. Knappii*, theologi Hallenſis, diſſ. *de thaumaturgia veræ revelationis charactere.*

ϑ) *Dogmatum*, quæ ſcriptura complectitur, *divinitas* pariter atque *ſublimitas*, itemque *conſenſus* eorum cum veritatibus theologiæ naturalis. Sive enim ſpectes credenda ſive agenda; utrimque divinitatis characteres exſplendeſcunt. Defectus theologiæ naturalis plene ſupplentur: myſteria DEO digna, de quibus infra agetur, evidentiſſimo teſtimonio proponuntur: redemtor humani generis ob oculos conſtituitur: hominibus, infinito infinitæ felicitatis deſiderio flagrantibus, monſtratur via planiſſima ad ſempiternam perveniendi ſalutem. Ut paucis multa dicam: clariſſimi divinitatis radii ubique ſplendorem ſuum emittunt; etiam in narrationibus hiſtoricis, cum in factis, quæ commemorantur, divina providentia peculiari prorſus modo ſeſe manifeſtaverit. Vid. *D. Wideburgius* lib. cit. p. 55. ſq. & meine Relig. Pred. p. 278. ſqq. p. 34. ſqq. p. 64. ſqq. p. 80. ſqq. p. 93. ſqq. Addatur S. R. *Burgius* in *Theol. Thet.* p. m. 49. ſqq.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Argumenta *fidem humanam* producentia sunt

α) scripturæ antiquitas:

β) styli simplicitas cum gravitate conjuncta:

γ) adsertionum veritas ac legum sanctitas:

δ) sacrorum amanuensium præstantia, qui rerum tradendarum notitiam ac veritatis studium ubique declarant:

ε) ecclesiæ per universum terrarum orbem diffusæ consentiens testimonium de divinitate sacræ scripturæ:

ζ) testimonia reliquorum populorum, perhibita narrationi in sacro codice contentæ:

η) martyrum, innocentiæ & sanctitatis laude illustrium, constans testimonium:

θ) pœnæ contemtoribus scripturæ inflictæ:

ι) pulcherrima librorum Biblicorum harmonia:

κ) ea Bibliorum conditio, ut ad omnium hominum, & eruditorum & indoctorum, captum statumque sapienter sint accommodata. Hæc argumenta, si junctim sumantur, gignunt fidem adeo certam, ut parum absit a demonstratione summa: uti recte disserit *b. D. Rambachius* in *Hermen. Sacra* p. m. 25. edit. primæ.

§. XXXV. Ex divina scripturæ auctoritate fluit *auctoritas* ejusdem *canonica* in theologia: secundum quam est

α) principium cognoscendi in theologia,

β) norma controversiarum,

γ) regula fidei ac vitæ omnibus hominibus.

§. XXXVI. Altera sacræ scripturæ adfectio est *efficacia* ejus *supernaturalis*, quæ in hominum peccatorum illuminatione, conversione, regeneratione, aliisque effectibus supernaturalibus producendis, manifesto sese exserit, nisi voluntas obicem petulanter ponat, Rom. 1, 16. Eph. 1, 17. Jes. 57, 10. 11. 1. Petr. 1, 23. Exempla eximia exstant 2. Sam. 12, 7. seqq. 2. Chron. 34, 19. seqq. Nehem. 8, 9. Joann. 6, 68 seqq. Act 13, 48. 1. Cor. 1, 6. Psalm. 119, 92. De iis, qui verbo DEI locum non relinquunt, legamus, quæ scripta sunt Luc. 8, 12. 13. 14. Act. 28, 24. seqq. 2. Cor. 3, 14. 15. 16.

§. XXXVII. Tertia scripturæ sacræ adfectio est *perfectio*, cum *ratione partium*, ut nulla, ne minima quidem, ejus pars, temporum injuria, aut alia ratione, interciderit; tum *ratione doctrinæ*, ut nulla exsistant fidei dogmata morumque præcepta, homini viatori ad cœlestem patriam tendenti creditu factuque necessaria, quæ in ea non contineantur.

§. XXXVIII. Libri ergo, qui a quibusdam desiderantur, aut nunquam exstiterunt, aut nunquam fuerunt canonici; id quod luculenter ostendit beatus *D. Buddeus* in *instit.*

stit. theol. dogm. lib. I. cap. 2. §. 19. Neque *variantes*, uti vocantur, *lectiones* corruptionis ullius præbent indicium; id quod solide ostenderunt celeb. *D. Carpzovius* in *Crit. Sacr. V. T.* Part. I. cap. 3. p. 90. seqq. inprimis pag. 117. seq. & beatus *D. Jo. Wilh. Baierus*, junior, in erudita dissert. *de variantium N. T. lectionum usu & abusu.* Quod vero ad perfectionem doctrinæ attinet; non quidem omnia dogmata disertis verbis in sacro codice leguntur: sed quædam tantum secundum rem in eo continentur, & per manifestam ac validam consequentiam eliciuntur, e. g. tres esse in divinitate personas: item verbum DEI & sacramenta esse media salutis; eos, qui Matth. 27, 53. 54. resurrexisse dicuntur, non bis esse mortuos. Legitimarum consequentiarum usum ex ipsius Christi exemplo addiscimus. Vide α) Matth. 22, 31. 32. coll. Exod. 3, 6. β) Matth. 19, 4. 5. 6. coll. Genes. 1, 27. γ) Matth. 22, 42. seqq. coll. Psalm. 110, 1. Ideo Christus nos scripturam *scrutari* jubet, Joann. 5, 39.

§. XXXIX. Quarta scripturæ sacræ affectio est *perspicuitas*: secundum quam omnia, quæ creditu factuque homini ad salutem

tem tendenti sunt necessaria, verbis & phrasibus ita claris proponuntur, ut quilibet homo linguæ gnarus, & vel mediocri pollens judicio, debitamque secum adferens attentionem, verum verborum sensum possit adsequi. Quod ad *perspicuitatem verborum* attinet, quam partim ex fine scripturæ 1. Cor. 14, 2. seqq. tum ex effectu proximo Psalm. 19, 9. 2. Petr. 1, 19. demonstramus; respiciamus in ea adserenda oportet cum subjecti capacitatem, tum modi cognoscendi simplicitatem, tum objecti ad salutem necessitatem.

§. XL. Nam discrimen inter ea, quæ ad fidem salutemque sunt necessaria, & ea, quæ sunt minus necessaria, probe observandum est: continet enim sacer codex quædam historica, chronologica, & id genus alia, quæ viris eruditis multum negotii facessere possunt. Qua in re DEUS summam sapientiam suam manifestavit: sic enim repressit eruditorum hominum fastidium; quibus, ne Biblia in fastidium adducantur, amplissimus aperitur campus, & diligentiam & ingenium in illustrando sacro codice demonstrandi.

§. XLI.

§. XLI. De reliquo iis scripturæ locis, quæ aut obscuriora sunt aut talia nobis videntur, lux adfundi potest, partim ex aliis locis clarioribus, hinc *paralleliſmus scripturæ* commendandus; partim ex aliis regulis hermenevticis, quas nostro ævo optime explanarunt *D. Val. Ern. Læscherus, D. Martinus Chladenius*, & *D. Jo. Jac. Rambachius*

§. XLII. *Perspicuitati rerum* obesse quibusdam videntur *mysteria fidei* in sacro codice revelata. Verum hos ponderare velim atque perpendere,

α) etiam in his proponendis summam esse divini testimonii evidentiam:

β) non posse non in divina revelatione esse mysteria, cum hæc maxime eam deceant:

γ) etiam in naturalibus deprehendi quædam mysteria, e. g. modus *conjunctionis animæ cum corpore:*

δ) sapientiæ divinæ fuisse, insolentem deprimere rationem:

ε) finitas creaturas non posse omnia comprehendere, quæ de ente infinito dicuntur;

ζ) mysteria transscendere quidem rationem, ita, ut hæc illorum modum comprehendere nequeat; at non esse contra rationem:

η) magnum & uberrimum esse *usum mysteriorum in praxi vitæ Christianæ*; id quod in pecu-

peculiari dissertatione demonstravit *D. Buddeus*:

3) sanam rationem probe animadvertere, nexum dogmatum theologicorum solutum iri, si quis mysteria revelata velit adimere. Vide clarissimi *Danielis Maichelii* dissert. *de distinctione inter ea, quæ sunt supra & contra rationem*; & lib. meum: Beweiß, daß die Bibel GOttes Wort sey, cap. 6. Adde doctissimi *Jo. Andr. Butistetti* Nothwendigkeit der Geheimnisse: & m. Relig. Pred. p. 110. sqq.

4) *Finem religionis* esse perfectissimam & *infinitam beatitudinem*, cumque media *fini* inservire debeant, non posse non religionem talia nobis suppeditare *media*, in quorum abyssum nequeant penetrare finitæ intellectus nostri facultates. De reliquo tria ad verum mysterium requiruntur,

1) ut ejusmodi doctrina omnem rationis captum transscendat longissime,

2) ut fundamentum habeat in divina revelatione,

3) utque nihil contineat absolute impossibile ac manifesto contradictorium.

§. XLIII. Biblia utiliter lecturus DEUM roget, ut intellectum ejus illuminet: impedimenta, quæ obstant, quo minus fructum scripturæ percipiamus, sedulo removeat: summam lectorum menti imprimat, eamque

que pia meditatione ad seipsum adplicet: ad vitam recte instituendam cuncta referat; Deique ingens beneficium, per scripturariam revelationem nobis exhibitum, grato animo agnoscat. Ad diligentem vero Bibliorum lectionem magnopere incitabimur, si perpendamus, nihil illis esse efficacius contra diabolum, carnem, & omnes cogitationes pravas: majus semper lumen iis legendis nobis suppeditari: nos ea in omnibus refocillare ac reficere calamitatibus: eadem denique esse locupletissimum, adversus errores, adversus vitia, adversus tentationes, & adversus metum mortis, armamentarium.

LIBER II.

CAP. I.

DE DEO, EJVSQVE ATTRIBVTIS.

Σύνοψις.

Attributa divina, §. 1. 2. unitas, §. 3. æternitas. §. 4. immutabilitas, §. 5. infinitas, §. 6. immensitas & omnipræsentia, §. 7. simplicitas & vita, §. 8. omniscientia & sapientia,

tia, §. 10. *omnipotentia*, §. 11. 12. *bonitas*, §. 13. 14. *sanctitas & justitia*, §. 15. *beatitudo summa*. §. 16.

§. I.

Deum exsistere, jam supra p. 8. sqq. demonstravi. Quæ vero sana ratio de DEI exsistentia & attributis docet, ea fides ceu certissima adsumit, simulque efficit, ut majori studio animum ad ea attendamus Hebr. 11, 3. Præterea Deus per verbum scriptum & gratiæ opera in animis fidelium quam efficacissime sese manifestat. Quid? quod ex divina revelatione multo clarius, quid DEVS sit, innotescit, quam ex lumine naturæ.

§. II. *DEVS*, ut paucis multa dicam, *est spiritus independens & infinitus*. Attributa divina igitur partim ex notione *independentiæ*, partim ex notione *Spiritus infiniti* fluunt. Ex notione independentiæ fluunt *unitas, æternitas, immutabilitas, infinitas, immensitas*, & *omnipræsentia*.

§. III. *Vnitas*, qua DEUM tanquam unicum cognoscimus, præter quem neque sit DEUS alius, neque exsistere possit, ex eo manifesta est, quod contradictorium est, exsistere essentias plures independentes. Qua

ex

ex re sapientissimi gentilium, e. g. *Socrates, & alii, quos Lactantius lib. I. cap. 5. recenset,* unicum esse DEUM agnoverunt. Confirmat unitatem DEI scriptura sacra Deut. 6, 4. 1. Cor. 8, 4. Jes. 44, 6. Fugiamus ergo idololatriam, cum crassiorem, tum subtiliorem, Exod. 22, 23. Philip. 3, 19, Rom. 16, 18.

§. IV. *Æternitas DEI,* absolute sic dicta, significat exsistentiam sive durationem permanentem sine principio ac fine, omnique successione aut vicissitudine. Expers est principii Ps. 90, 2. 4. finis 1. Tim. 6, 16. successionis, ita, ut DEO omnia tempora sint præsentia, Ps. 102, 28. Cogitemus igitur, DEO nos nostram debere originem: curemus, ut in perpetuum habeamus DEUM placatum: *practice* consideremus verba apostoli 2. Petr. 3, 8. 9. & Salomonis Kohel. 3, 11.

§. V. Cum notione æternitatis necessario nexu conjuncta est *immutabilitas* DEI, qua nulli mutationi neque secundum essentiam, neque secundum scientiam, neque secundum voluntatem & decreta, est obnoxius, Num. 23, 19. Ps. 102, 25. seqq. Malach. 3, 6. Jac. 1, 6. Hinc *pœnitentia* de DEO non dicitur proprie, sed ἀνθρωποπαθῶς: & signi-

ficat denuntiationem & exsecutionem divini, quod impiis obtingit, judicii, aut declarationem misericordiæ erga peccatores conversos Jon. 3, 10. DEI igitur immutabilitas compellat nos, ut sequamur ordinem salutis ab eo constitutum.

§. VI. *Infinitas* habet notionem *absolutæ*, omnemque captum humanum superantis, & nullis terminis circumscriptæ, *perfectionis*, Ps. 145, 3. 1. Tim. 1, 11. 6, 15. Demisse igitur DEUM admiremur, & veneremur, eique nosmet libenter subjiciamus: simulque cogitemus, neminem mortalium, quid DEUS sit, mente sua plene posse comprehendere; ideoque necessitatem mysteriorum pie ac reverenter agnoscamus: denique nobis persuadeamus, *infinita* eum nos beaturum esse *felicitate*.

§. VII. *Immensitas* est attributum divinum, secundum quod DEUS nullis locorum terminis circumscribitur atque includitur, Jer. 23, 24. Jes. 66, 1. 1. Reg. 8, 27. Job. 11, 8. 9. Ergo neque est *in loco*, neque *de loco* in locum *movetur*. Ex hac immensitate fluit *omnipræsentia*, secundum quam omnibus rebus creatis, sine omni tamen divinæ essentiæ extensione, intime præsens est,

est, Psalm. 139, 7. seqq. Jer. 23, 23. 24. Act. 17, 27. 28. DEUS ergo ubique potest invocari & adorari: ubique ergo DEUM veneremur: ubique divino auxilio freti possumus esse hilares, Jes. 43, 25.

§. VIII. DEUS est *Spiritus infinitus*: intellectum igitur, voluntatem, & potentiam habeat, omnesque perfectiones eminentissimo modo possideat, necesse est, Jes. 11, 18. 25. Joan. 4, 24. 1. Tim. 6, 16. Ex quo elucet, *membra* & organa sensuum DEO *improprie* tribui, & divina attributa tantum sub certa *imagine* exprimi. DEUM ergo interno præcipue cultu veneremur, 1. Cor. 6, 17. 20. Joan. 4, 24. 2. Cor. 3, 17.

§. IX. Notio *Spiritus* generatim involvit

α) *simplicitatem*, secundum quam omnis compositionis est expers, & omnia ejus attributa sunt ipsa ejus essentia, Exod. 3, 14. Studeamus igitur vitæ morumque simplicitati, 2. Cor. 1, 12.

β) *vitam* eminentissima ratione: est enim fons omnis vitæ, res autem creatæ vitam suam a Deo habent, Gen. 16, 14. Jos 3, 10. Jes. 37, 4. Act. 14, 15. Joann. 5, 26. A solo igitur DEO omnem vitam, naturalem, spiritualem, & æternam exspectemus, Ps. 36, 10. Joann. 1, 4. Act. 17, 28.

§. X. Notio *spiritus infiniti* speciatim involvit *infinitam* intellectus & voluntatis *facultatem*. Intellectus autem & voluntas in DEO non *subjective* differunt, sed *objective*: & neutra facultas in DEO *passive* se habet. In intellectu divino veneramur

α) *Scientiam intuitivam*, secundum quam una, simplici, & æterna contemplatione omnia cognoscit. Conf. summe reverendi *D. Syrbii philos. prim.* part. I. cap. 2. §. 26. 27. & beati *Thümmigii theol. nat.* p. 216. sqq. tom. I. philos. *Wolff.* Cognoscit igitur DEVS.

1) semetipsum; Act. 15, 18. 1. Cor. 2, 11.
2) omnes res possibiles extra se:
3) omnes res præteritas, præsentes, & futuras, Ps. 139, 1. sqq. 1. Joan. 3, 20.
4) futura necessaria, contingentia, & conditionata, Gen. 18, 17. 19. 1. Sam. 23, 11. seq. Matth. 11, 21. Jes. 41, 22. 23. Conf. celeb. *Reinbeckii* Medit. in Aug. Conf. Part. I. pag. 112. seqq.

Practicam igitur *considerationem* intendamus in verba Psalm. 10, 14. Job. 42, 2. 3. Hebr. 4, 12. 13. occurrentia.

β) *Sapientiam*, secundum quam semper, quod optimum est, eligit, adprobat, &, ut eveniat, cuncta dirigit, 1. Tim. 1, 17. Jes. 28, 29. Job. 12, 13. Omnibus igitur rebus certum, ipsumque decentem, *finem* constituit, &,

per

per *sanctitatem voluntatis*, salutaria ad eum obtinendum *media* adhibet.

Practice igitur perpendamus per omnem vitam nostram egregia scripturæ dicta Jac. 1, 5. Jes. 28, 29. Coloss. 2, 3.

§. XI. DEVS etiam habet *voluntatem*: est enim Spiritus: est caussa prima, quæ agentibus liberis & naturalibus finem præscribit & media: est in DEO propensio ad bonum perpetuo possidendum, rebus vero creatis imperiendum Ergo

α) DEVS non potest non ea velle, quæ ipsius summæ perfectioni conveniunt; ergo DEVS se ipsum modo longe perfectissimo amat.

β) DEVS nihil vult absque caussa, & semper vult, quod optimum est.

γ) Optimum meliori, melius bono, bonum malo anteponit: ergo in DEO est libera electio, quæ efficit divinum decretum: ergo creaturæ rationales non potuerunt non habere libertatem arbitrii. Ergo DEVS est

1) *liberrimus* in decretis,
2) *sanctissimus* in omni regimine mundi.

Si vero optimum est, quod DEVS ex suo decreto agit, in voluntate divina tranquillo animo adquiescamus oportet.

§. XII. DEVS, qui eligit optimum, & est summum bonum, *amorem*, *clementiam*, *& bonitatem suam* quam clarissime quotidie creaturis, præcipùe hominibus, demonstrat; cujus illustrissima documenta suspicimus in opere creationis, conservationis, & redemtionis, nec non in constituendo salutis ordine, Ps. 119, 64. Joann. 3, 16. 1. Joan. 4, 8.

§. XIII. Bonitas divina, quatenus juvat creaturas ad finem suum contendentes, dicitur *benignitas* & *gratia*; quatenus vero miseros consolatur adflictosque liberat, adpellatur *misericordia* 2. Petr. 3, 9. Luc. 1, 78. Rom. 2, 4. Ephes. 2, 7. Ex bonitate autem fuit *longanimitas* & *lenitas*, Exod. 34, 6. 7. Jon. 4, 2. 2. Petr. 3, 9. Cum bonitate divina conjuncta est *veracitas*, sive DEI, in dicendo vero, & servandis cum promissionibus, tum comminationibus, constantia summa. Num. 23, 19. Rom. 3, 4. Psalm. 33, 4. 2. Reg. 10, 10. Jos. 23, 14. seqq. Hebr. 6, 18. Varia ex bonitate DEI peti posse præcepta moralia, ad praxin vitæ Christianæ ducentia, nemo est, qui non videat. Conf. *Medulla & nucleus Theologiæ D. Heideggeri* p. 57. seqq. *edit. German. an* 1727. evul-

evulgatæ. Adde laudatum *Reinbeckii* librum p. 157. seqq.

§. XIV. Qui summe bonus est, omne bonum ideo amat, vult & agit, quod bonum est. *Sanctitas* ergo a bonitate divina nullo separari potest pacto, Jes. 6, 3. Ps. 5, 5. seqq. 1. Sam. 1, 2. Ex sanctitate fluit *justitia*, cum legislatoria, tum remunerativa, tum vindicativa, Levit. 19, 2. 1. Pet. 1, 15. 2. Thessal. 1, 6. seqq. Revocet nos justitia divina a peccatis, incitet nos ad virtutes, verumque DEI timorem nobis injiciat.

§. XV. Verum habet quoque *potentiam*, sive facultatem, ea, quæ vult, perficiendi, nimirum omnia, quæ neque agentis imperfectionem neque contradictionem arguunt. Recte igitur *omnipotens* dicitur Ps. 66, 12. Matth. 19, 26. Luc. 1, 37. 2. Cor. 6, 18. Ephes. 3, 20. Impossibilia vero & contradictoria ab omnipotentia divina excluduntur. Vid. *Thümmigii* l. c. p. 226. sqq. *Potentia* DEI autem est vel *absoluta*, in qua nulla habetur creaturarum ratio, quæque ideo irresistibilis est, & ad regnum potentiæ pertinet; vel *ordinata*, in qua certum in agendo ordinem observat, & cui homines possunt resistere. Di-

vinam autem potentiam dum pie consideramus, fiducia nostra augetur, amor DEI crescit, & spes in eo confirmatur.

§. XVI. Ex summa omnium attributorum divinorum harmonia oritur cum *gloria* Dei *essentialis*, Deut. 7, 21. Psalm. III, 9. 145, 3. quæ eum tam in se glorioſum quam creaturis rationalibus maxime venerabilem reddit; tum *infinita* ejus *omnisufficientia* Apoc. 17, 14. 1. Corinth. 15, 28. Psalm. 83, comm. ult. tum summa *beatitudo DEI*, qua infinita & ineffabili voluptate gaudet. 1. Tim. 6, 15. *Illa*, ut demississima pietate Deum colamus, exigit. *Ista*, ut omnem spem in DEO collocemus, & omnia, etiam quæ sæpius impossibilia nobis videntur, ab eo exspectemus, a nobis poscit. *Hæc* a nobis postulat, ut omnem beatitudinem in DEO quæramus, eique pro constituto salutis nostræ ordine debitas agamus gratias. Conf. *theol.* meam *natural.* part. I. c. I. §. 17. & meine Rel. Pred. p. 18. sqq.

LI-

LIBER II.
CAP. II.
DE
MYSTERIO S. S. TRINITATIS.

Σύνοψις.

Tres sunt personæ in una essentia divina §. 1. *sqq. ordo personarum,* §. 5. *seqq. distinctio personarum,* §. 11. *seqq. mysterium Trinitatis probatum e V. T.* §. 15. *e N. T.* § 16. *divinitas filii DEI,* §. 18. 19. *divinitas Spiritus Sancti* §. 20. *hoc mysterium creditu ad salutem est necessarium* §. 21. *non est contra rationem,* §. 22. *usus ejusdem in praxi vitæ Christianæ,* §. 23.

§. I.

Scriptura sacra aperte docet, *tres esse in una essentia divina personas.* Ipsos Judæos veteres Deum patrem vocasse *coronam summam* & *numerationem primam,* filium *sapientiam* & *numerationem secundam,* Spiritum S. *intelligentiam* & *tertiam numerationem;* copiose ostendit celeb. *Jo St. Rittangelius* lib. *de verit. relig. Christ.* p. 18. Priusquam

vero mysterium hoc ipsum considéremus, voces, quibus id exprimitur, explicentur necesse est.

§. II. Divina *essentia* est natura divina spiritualis & independens, cum attributis suis simplicissime una, ac tribus personis communis, ideoque etiam trium personarum non nisi una. Jo. 16, 13. 14. 15.

§. III. Nomine *personæ*, sicut alias significatur *suppositum intelligens*, ita hoc loco indicatur, *tres esse subsistentias relativas in una divina essentia*, ita, autb essentia divina sola ratione *subsistendi* differant, inter se vero realiter *characteribus hypostaticis* distinctæ sint. Nam

α) *Deus Pater* in divinis est persona: qui enim ab æterno generavit filium, qui creavit hoc universum, hujusque curam gerit, is est *suppositum intelligens*.

β) *Filius* est *persona:* qui enim genitus est a patre, naturam humanam adsumsit, & curam gerit hujus universi, is est *suppositum intelligens*.

γ) *Spiritus S.* est *persona:* qui enim in specie visibili adparuit Joan. 1, 32. docet homines, & actus gratiæ adplicatricis κατ' ἰδιοποίησιν peragit, is est *suppositum intelligens*.

§. IV.

§. IV. Has tres distinctas personas scriptura vocat *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*, 1. Cor. 12, 3. 2. Cor. 13, 13. Matth. 28, 19. Vox *essentia* fundamentum habet in voce יְהוָה & ὤν Apoc. 1, 8. *persona* Colos. 1, 15. Hebr. 1, 3. trinitas 1. Joan. 5, 7.

§. V. *Pater* est prima persona divinitatis, non genita, nec procedens, sed ab æterno de sua substantia gignens filium, & cum filio ab æterno spirans Spiritum Sanctum.

§. VI. *Filius* est secunda persona divinitatis, ab æterno a Patre genita, a qua & Patris persona ab æterno procedit Spiritus S.

§. VII. *Spiritus Sanctus* est tertia persona divinitatis, non genita, sed procedens ab æterno a patre & filio.

§. VIII. Pater est *prima* persona, non dignitate, multo minus tempore, sed *ordine personali*, secundum quem, pro nostro concipiendi modo, Pater est æternus divinitatis fons, e quo procedit persona filii per generationem, & persona Spiritus Sancti per spirationem æternam. Nullam in divinis personis admittendam esse *subordinationem*, confirmant dicta Jo. 10, 30. 2. Cor. 13, 13. 1. Petr. 4, 14. Joan. 16, 13, 14. 15.

§. IX.

§. IX. Differt generatio filii a spiratione Spiritus Sancti; modum vero, quo differt, definire non possumus. Mich. 5, 1. Psalm. 33, 6.

§. X. Modus *generationis* & *spirationis* rationi est quidem incomprehensibilis, veruntamen non est contra rationem; cum hic generatio nihil sit aliud, quam *communicatio naturæ*, a qua divisio, separatio, & inæqualitas, quam longissime absuut: id quod eleganter demonstrat celeb. *Benedictus Pictetus* in *scrutinio religionum* p. 162. seqq. *edit. Germanicæ.* Generatio filii DEI vera est & substantialis; non autem physica, sed hyperphysica. *Esse ab æterno*, & *genitum esse ab æterno*, non sunt contradictoria: nam *esse ab æterno* denotat ipsam essentiam divinam; at *genitum esse ab æterno* denotat modum habendi essentiam ab æterno. Sic Spiritus S. procedit quidem a Patre & Filio, ut principio originis, non ut a caussa efficiente, neque numero diversam, sed eandem, essentiam accipit.

§. XI. Ceterum personæ divinitatis distinguuntur

α) *actibus personalibus*, qui sunt

1) generatio filii activa a patre Jes. 43, 13. Prov.

Prov. 8, 22. seqq. Mich. 5, 2. Ps. 2, 7. coll. Act. 13. 33. quam missio filii in tempore secuta est, Jo. 3, 16. 17.

2) Spiratio Spiritus Sancti activa a patre & filio, Matth. 10, 12. Gal. 4, 6. Rom. 8, 9. Joan. 15, 26. cujus consequens fuit missio in tempore Joan. 14, 26. Act. 2, 3. 10, 45.

β) *proprietatibus personalibus*, quæ sunt

1) paternitas,
2) filiatio,
3) processio.

γ) *notionibus personalibus*, quæ sunt

1) innascibilitas patris,
2) generatio passiva filii,
3) spiratio passiva Spiritus S.

§. XII. Pater a filio, filius a patre, & Spiritus S. ab utroque differt, ut revera alius sit pater, alius filius, & alius Spiritus sanctus. Conf. *D. Henr. Wideburgii* syst. theol. pos. p. m. 216. sq. Est igitur in Trinitate *alius atque alius;* non vero *aliud atque aliud* Joann. 5, 32. 37. 14, 16. 15, 26. Quicquid est *opus ad extra*, hoc est toti Trinitati commune; dicitur autem *opus ad extra*, quod extra Deum ad creaturas terminatur. Huic opponitur *opus ad intra*, quod in DEO ad certam divinitatis personam terminatur, ratio-

ratione communicationis essentiæ divinæ ab æterno factæ.

§. XIII. Opus patris characteristicum *ad extra*, secundum singularem ἰδιοποίησιν, est *creatio* & *conservatio* hujus mundi universi. Opus filii est *redemtio* generis humani, prævio ejus adventu in carnem, Gal. 4, 4. Jo. 3, 16. 17. Opus Spiritus sancti est, secundum singularem ἰδιοποίησιν, *sanctificatio*, unde *sancti* nomen habet, 2. Thessal. 2, 13. Quid? quod χαρίσματα, infra in capite *de justificatione* commemoranda, partim ad singulas personas, partim ad totam S. S. Trinitatem, referuntur.

§. XIV. Cuivis personæ Trinitatis proprius subsistendi modus convenit. Quamobrem una persona totam DEI essentiam, non sub triplici, sed tantum sub uno ὑπάρξεως τρόπῳ, habet. Subsistit quippe pater ἀγεννήτως, filius γεννητῶς, Spiritus sanctus ἐκπορευτῶς. Est igitur inter personas S. S. Trinitatis περιχώρησις *essentialis* propter essentiæ unitatem: quemadmodum *personalis* est inter duas naturas in Christo unitas. Vid. *b. D. Jo. Gerhardi* Exeg. lib. 4. n. 121.

§. XV.

§. XV. Trinitatis sacrosanctæ mysterium in veteri testamento satis clare patefactum fuit; id quod adparet

α) ex iis locis, qui pluralitatem personarum in divina essentia generatim nobis insinuant, e. g. Genes. 1, 26. 3, 22. 35, 7. Jos. 24, 19. 2. Sam. 7, 23. Jerem. 23, 36.

β) ex iis locis, in quibus duarum personarum expressa fit mentio, e. g. primæ & secundæ Gen. 19, 24. Exod. 33, 19. Ps. 2, 7. 12. 110, 1. Jes. 9, 5. 6. 7. Jer. 33, 15. spiritus sancti & alterutrius reliquarum personarum Gen. 41, 38. Num. 11, 25. seqq. Judic. 6, 34. 1. Sam. 10, 6. 10. Jes. 32, 15. Dan. 4, 6. Zachar. 7, 12.

γ) ex iis locis, in quibus personarum divinarum numerus ad ternarium speciatim restringitur, e. g. Num. 6, 22. 25. sqq. Judic. 6, 21. 34. 2. Sam. 23, 2. 3, Ps. 33, 6. 45, 8. Jes. 42, 1. seqq. 48, 16. 61, 1. seqq. Zachar. 12, 8. 11. Quo loca singula, una cum compluribus aliis, egregie explicat & vindicat celeb. *D. Langius* tom. 2. *causæ DEI* pag. 321. seqq. Vestigia pluralitatis & trinitatis personarum in essentia divina in libro sapientiæ occurrentia in peculiari programmate exhibet summe reverendus *D. Jes. Frid. Weissenbornius.*

§. XVI. In novo autem testamento hoc mysterium clarius est confirmatum; id quod præcipue probamus

α) ex

α) ex dictis clarissimis Joann. 14, 16. 23, 26. 2. Cor. 13, 13. 1. Petr. 1, 2. 1. Joann. 5, 7. cuius dicti γνησιότητα, præter *Jo. Gerhardum*, *Jo. Conr. Dannhauerum*, & *Jo. Andr. Schmidium*, vindicavit beatus *D. Frid. Ern. Kettnerus*.

β) ex formula baptismali Matth. 28, 19. In quemcunque, tanquam in auctorem salutis nostræ, baptizamur, ille est verus DEVS. Atqui in patrem, filium & spiritum sanctum, &c. Ergo &c.

γ) ex baptismate Christi Matth. 3, 16. 17. Conf. celeb. *Jo. Reinhardi Russii* tom. I. *harm. Evang.* p. 339. seqq. & summe reverendi *J. C. Wolffii* cur. crit. *in IV. Evangel.* pag. 62. seqq.

§. XVII. Non tres esse DEOS, sed unum DEVM, duce scriptura confitemur; sed ad ejusdem ductum confitemur, non solum patrem, sed etiam filium, & spiritum sanctum, esse verum & æternum DEVM. Divinitas patris probatione non eget; utpote ab omnibus, qui verum DEVM confitentur, admissa, & ex nominibus, attributis, operibus & cultu, manifesta.

§. XVIII. Divinitas filii DEI demonstratur

α) ex *nominibus divinis* Num. 21, 5. 6. coll. 1. Cor. 10, 9. Jes. 6, 1. seqq. coll. Jo. 12, 40. 41.

41. Exod. 13. c. 14. coll. cap. 23, 20. ſqq. 33. 14. ſeqq. 34, 5. ſeqq. Jeſ. 8, 13. 14. 10, 5. 6. 7. Act. 20, 28. Rom. 9, 5. coll. cap. 1, 25. Tit. 2, 13. 1. Jo. 5, 20. Conf. *D. Langii* tom. 2. *cauſſæ DEI* pag. 463. ſeqq. & *D. Wideburgii* ſyſt. theol. poſit. p. m. 205. ſqq.

β) ex *generatione æterna* Jeſ. 43, 13. Prov. 8, 22. ſeqq. Pſalm. 2, 7. coll. Act. 13, 33. Jo. 5, 18. Rom. 8, 32. Hebr. 1, 3. Mich. 5, 1. Quicunque eſt genitus de ſubſtantia DEI Patris ab æterno, ille eſt verus atque æternus DEUS. Atqui filius DEI, &c. Ergo &c.

γ) ex *attributis divinis*, quæ ei tribuuntur

1) generatim Jo. 5, 18. 26. 10, 30. 16, 15. Philipp. 2, 6. Coloſſ. 2, 3. 9.

2) ſpeciatim ex

א) æternitate Jo. 1, 1. 17, 5. Apoc. 1, 8. 11. 4, 10. Prov. 8, 22. ſeqq. Mich. 5, 1. Coloſſ. 1, 16. 17. Pſalm. 102, 26.

ב) omniſcientia, Coloſſ. 2, 3. Jo. 1, 49. ſeqq. 2, 24. 25. 6, 64. Matth. 9, 4. Hebr. 4, 12. 1. Cor. 4, 5. Apoc. 2, 23.

ג) omnipotentia, Apoc. 1, 8. Hebr. 1, 3. Philipp. 3, 21. Pſalm. 118, 16. Joan. 10, 28. 15, 24. 18, 6. Matth. 4, 10. 11. 8, 24. ſeqq. 14, 15. ſeqq. 21, 19.

ד) omnipræſentia, Joann. 3, 13. Eph. 1, 23. 4, 9. 10. Matth. 28, 20.

δ) ex *operibus* ejus *divinis*, & quidem

1) *in regno naturæ*, quæ sunt

א) creatio, Jo. 1, 1. 3. coll. Gen. 1, 1. & Ps. 33, 6. Coloss. 1, 16. Ps. 102, 26. sqq. Conf. celeb. *D. Reinh. Henr. Rollii* demonstratio *æternæ Deitatis Jesu Christi ex opere creationis* an. 1734. edita.

ב) conservatio hujus universi, Hebr. 1, 3. 2, 10. Coloss. 1, 17. Joann. 5, 17.

ג) miraculorum patratio Jo. 2, 11. 20, 30. 21, 35. & δυναμεργία apostolis collata Matth. 10, 8 Marc. 16, 17. 20. Act. 3, 6. 12, 16.

2) *in regno gratiæ*, ubi considerari debent

א) redemtio generis humani Gen. 3, 15. 1. Jo. 2, 2. 3, 8. Ps. 49, 8. 9. 130, 8. Jes. 43, 11. 12. Act. 20, 28.

ב) œconomiæ salutis constitutio, Jo. 10, 10. Hebr. 13, 20. Luc. 24, 46. seqq.

ג) illuminatio, Joan. 1, 9. 12, 46. Jes. 42, 6. 7. Luc. 10, 22.

ד) conversio & regeneratio. Jo. 12, 32. Apoc. 3, 20. Hebr. 12, 12.

ה) justificatio peccatoris, Exod. 34, 7. Jes. 53, 11. Matth. 9, 2. seqq. Matth. 18, 18. Joan. 20, 23.

ו) sanctificatio, Jo. 17, 17. 1. Cor. 1, 30. Ephes. 5, 25. seqq.

ז) resuscitatio mortuorum, Jo. 5, 21. 28. 29. 11, 25. Ps. 90, 2. 3. 2. Cor. 1, 9.

) ju-

π) judicium extremum, Pſalm. 9, 8. 9. 50, 6. 94, 2. Gen. 18, 25. Pſ. 7, 9. Matth. 25, 31. Act. 1, 11. 17, 31. adde Exod. 19, 20.

Conf. doctiſſimi *C. L. Stromeyeri* diſſert. *de divinitate Chriſti ex œconomia gratiæ demonſtrata*, ſub præſidio ſumme reverendi *Jo. Frickii* Vlmæ an. 1716. habita.

ϱ) ex *cultu religioſo, filio DEI debito*, Matth. 4, 10. Deut. 6, 13. Philipp. 2, 10. Pſ. 97, 7. coll. Hebr. 1, 6.

ϛ) ex *adſumtione humanæ naturæ* in ὑπόστασιν τοῦ λόγου, quippe quæ eſt *miraculum* omnium *maximum* Jeſ. 7, 13. 14. 9, 6. 1. Tim. 3, 16. *Actus* ipſe *adſumtionis* humanæ naturæ procedit ex divina virtute, quæ eſt communis omnibus Trinitatis perſonis; at *terminus adſumtionis* ſoli ſecundæ perſonæ competit. Vid. *b. Theod. Hackſpanii* Manual. Theol. p. 66. & Hebr. 2, 16. Col. 2, 9. & celeb. *Jo. Petri Reuſchii* ſyſt. *theol. thet.* part. gen. cap. 3. p. 172. ſqq.

§. XIX. In adſerenda filii DEI divinitate concilii Nicæni patres contenderunt, eum agnoſci debere *Patri* ὁμοούσιον. Ariani concedebant, eum eſſe ὁμοιούσιον, quæ vox indicat eſſentiæ ſimilitudinem: immo συνούσιον, quæ vox indicat identitatem eſſentiæ ſpecificam; at orthodoxi adſerebant, filium DEI

eandem numero essentiam habere, secundum verba Christi Joan. 10, 30. Conf. beati *D. Kortholti* hist. eccles. N. T. pag. 104. *comp. hist. eccles. Gothan.* p. 300. beati *D. Jo. W. Baieri* diss. *de concilio Nicæno* § 72. sqq. & beati *D. Thomæ Ittigii hist. concilii Nicæni.*

§. XX. Divinitas Spiritus Sancti demonstratur

α) ex *nominibus divinis* 2. Sam. 23, 2. 3. Act. 5, 3. 4. 1. Cor. 3, 16. 12, 6. 11. 2. Cor. 6, 16.

β) ex *processione Spiritus Sancti a Patre & Filio* ab æterno. Joan. 14, 26. 15, 26. Luc. 24, 49. Joan. 16, 13. 14. 15. Galat. 4, 6.

γ) ex *attributis divinis*, speciatim

1) æternitate Jes. 40, 13. coll. Gen. 1, 2. 1. Cor. 2, 10. 11. Joann. 15, 26.

2) omnipræsentia, Ps. 119, 7. 1. Cor. 3, 16. 6, 19.

3) omniscientia, Jes. 11, 12. 20, 13. Eph. 1, 6. 1. Cor. 2, 10. Joann. 14, 26.

4) omnipotentia, Jes. 11, 2. Act. 1, 8. 10, 38. Matth. 12, 28. Luc. 24, 49.

δ) ex *operibus divinis*, & quidem

1) *in regno naturæ*, quæ sunt

א) creatio, Psalm. 33, 6. Gen. 1, 2.

ב) conservatio hujus mundi, Ps. 104, 30. Job. 33, 4.

ג) miraculorum patratio, Matth. 12, 28. Luc. 1, 35. Act. 10, 38.

2) *in*

2) *in regno gratiæ*, ubi considerari debent
א) redemtoris missio, Jes. 48, 16. unctio Ps. 45, 8. Jes. 61, 1. 1. Joan. 3, 34. instructio, Jes. 11, 2. directio, Matth. 4, 1.
ב) illuminatio, 2. Cor. 3, 28. Eph. 1, 17.
ג) regeneratio, Joann. 3, 5. Tit. 3, 5.
ד) justificatio, 1. Cor. 6, 5.
ה) sanctificatio, Gal. 5, 22. 1. Cor. 6, 11. Rom. 1, 4. 8, 9. seqq. 15. 16.
ו) ecclesiæ directio, Act. 8, 29. 39. 20, 28. Conf. doctissimi *Jo. Jac. Glaseri* diss. *de divinitate Spiritus S. ex œconomia gratiæ demonstrata*, sub præsidio beati *D. Buddei* 1727. Jenæ habita.

ז) *ex cultu*, qui ei vindicatur, *religioso* Jes. 57, 15. coll. 1. Cor. 3, 16. 19. Jac. 4, 12. Hebr. 3, 7. 2. Cor. 13, 13. Jes. 6, 3. coll. Act. 28, 26. 29. Psalm. 143, 10.

ז) ex *collatione dictorum V. & N. T.* Sic e. g. qui per Davidem Psalm 95, 8. locutus est, ille est verus Deus Ps. 95, 1. sqq. *Atqui* Spir. S. per Davidem locutus est, teste Paulo Hebr. 3, 7. *Ergo* Spir. S. est verus Deus. Conf. *b. D. Wilh. Lyseri* diss. in Jes. 63, 7. 8. 9. 10.

§. XXI. Quicquid ita cum cognitione DEI Patris est connexum, ut Pater propitius sine illo credi & haberi nequeat: & sine

quo neque fundamentum neque ordinem salutis perspicere possumus; illud cognitu & creditu ad salutem est necessarium. Atqui sine cognitione filii & spiritus sancti pater propitius credi nequit: *principia salutis* nostræ sunt benevolentia DEI patris, & redemtio Christi filii DEI: & in *ordine salutis* gratia Spiritus S. adplicatrix efficacissime operatur. Ergo S. S. Trinitatis mysterium ad salutem cognitu & creditu est necessarium. Conf. bezri *D. Andr. Ad. Hochstetteri* differt. *de S. S. Trinitate.*

§. XXII. Sublime hoc mysterium non est contra rationem; cum nihil in eo inveniatur, quod dici possit contradictorium. Nam *primo* non docemus, unum esse DEUM, & tres esse DEOS; nec adserimus unam essentiam, & tres esse essentias. *Deinde* hoc mysterium in ea revelatum est religione, in qua omnes veræ religionis characteres sese manifestant. *Tertio* hoc mysterium cum reliquis dogmatibus theologicis tam necessarium habet nexum, ut sine eo neque redemtionem, neque justificationem, neque alia complura theologiæ capita, intelligere prorsus queamus. *Quarto* infinita DEI essentia a finito hominis intellectu com-

comprehendi non potest. *Quinto* personæ divinitatis non essentialibus, sed personalibus, proprietatibus distinguuntur. *Sexto* DEUS est ens summum, & summas perfectiones modo eminentissimo possidet: summæ autem & infinitæ perfectiones tantum a summo & perfectissimo & infinito intellectu possunt comprehendi; nostro igitur, qui finitus est, intellectui summi DEI infinitæ perfectiones sunt incomprehensibiles. Ex quo adparet, etiam in divina *unitate* aliquid esse, cujus plenam ideam habere nequeamus. *Septimo* DEUS est summum bonum, ergo summo modo sese communicet necesse est: cum autem perfectissima & summa communicatio in communicatione essentiæ consistat, in DEO communicatio essentiæ exsistat necesse est; at eo modo, ut essentia non multiplicetur. *Octavo* summus & infinitus honos, qui DEO competit, indicat probabilem necessitatem pluralitatis personarum. *Nono* summa, quæ in DEO est, beatitudo sanæ rationi repræsentat probabilitatem pluralitatis personarum; id quod liquido ostendit celeb. *Reinbeckius* libr. cit. p. 166. conf. doctissimi *Bened. Gottl. Clauswizii* Vernunft and Schrift in ihrer

rer Ordnung, pag. 646. seqq. & adde summe reverendi *D. Mich. Christ. Rusmeyeri* lib. *de S. S. Trinitate* cap. 2. §. 1. p. 51. seqq. itemque summe venerabilis *D. Jo. Laur. Mosheimii* heilige Reden, Part. I. p. 156. seqq.

§. XXIII. Nos igitur oportet demississimo mentis cultu DEUM non aliter agnoscere, quam prout sese in verbo suo revelavit, nempe uuum in essentia, in personis trinum, patrem, filium & spiritum sanctum: neque aliter eum adorare Joann. 5, 23. 1. Joann. 2, 23. 1. Cor. 12, 3. Præterea viva & efficax hæc debet esse agnitio, ut in sincerum DEI amorem nos trahat, cum omnes tres personæ ita describantur, ut non possint non hominibus sui amorem & desiderium injicere: utque summam & infinitam DEI majestatem pie & reverenter colamus ac veneremur. Tum maximum, quo fideles per unionem mysticam potiuntur, honorem probe expendamus necesse est. Denique in beneficiis sacrosanctæ Trinitatis rite considerandis debitam demonstremus pietatem. Conf. *Buddei* differt. *de usu myster. in praxi vitæ Christianæ* §. 9. & doctissimi *Adolphi Frid. Meyeri* Glaubens-

Grund

Grund und Lebens-Weg, pag. 60. seqq. itemque beati *D. Jo. Henr. Maii theolog. mor.* pag. 23. seqq.

LIBER II.
CAP. III.
DE
CREATIONE IN GENERE, ET CVM ANGELORVM TVM HOMINVM IN SPECIE.

Σύνοψις.

Creationis historia §. 1. *seqq. creatio angelorum* §. 7. *angeli boni* §. 16. *seqq. mali* §. 20. *seqq. creatio hominum* §. 28. *seqq.*

§. I.

Creatio est actio DEI trinunius ad extra, qua is cum substantias immateriales & corpora simplicia ex nihilo, tum corpora mixta ex inhabili materia, sex dierum intervallo, solo voluntatis imperio, libere condidit, ad omnipotentiæ, sapientiæ & bonitatis suæ gloriam, hominumque utilitatem.

§. II. Creator est solus DEVS Jes. 40, 26. Job. 9, 8. seqq. *Pater*, qui sibi hoc

opus, ut supra dixi, peculiari modo tribuit Rom. 11, 36. 1. Cor. 8, 6. Hebr. 1, 2. *Filius* Prov. 8, 22. 30. Joh. 1, 3. Eph. 3, 9. Colos. 1, 16. *Spiritus Sanctus* Gen. 1, 2. Job. 33, 4. Ps. 33, 6.

§. III. Modus creationis consistit in productione omnipotenti, qua DEVS primum hujus universi materiam ex nihilo condidit; deinde vero ex ea mirifice digesta per infinitam suam potentiam libere omnia composuit.

§. IV. Ordo creationis fuit architectonicus: progressus enim est DEVS a simplicibus ad compsita; & ita quidem, ut, cum totum mundi systema uno momento per omnipotentiam potuisset exhibere, pro summa tamen sua sapientia per gradus & partes sex dierum intervallo illud consummaverit. Totum Hexaëmeron sequentibus exprimitur versibus:

Prima dies lucem profert, locat altera cœlum,
Post hanc stat tellus, quarta duo lumina lucent,
Quinta replet vastum variis animalibus orbem,
Adam parque DEO formatur imagine sexta.

Omnem

Omnem creationis ordinem erudite & accurate explanat summe reverendus *D. Jo. Frid. Wucherer* in *historia creationis*; cum qua conferri debet celeberrimi *Jo. Bernhardi Wideburgii* specimen primum *matheseos Biblicæ*. adde amplissimi *Reinbeckii* medit. in *Aug. Conf.* Part. I. pag. 186. seqq.

§. V. Mundum neutiquam semper extitisse, sive non fuisse æternum, sana ratio haud difficulter intelligit. DEVS quidem ab æterno potentiam creandi habuit; vid. celeb. *D. Syrbii* instit. *philos. prim.* Part. I. cap. 2. §. 39. & Part. II. cap. 3. §. 7. Quoniam vero *productum esse a caussa prima*, & *æternum esse*, apertam ac manifestam parit contradictionem; sanæ rationi veri videtur simillimum, mundum creatum esse in tempore. Quid? quod impossibilitatem æternitatis mundi perspicit ratio; id quod in *theol.* mea *naturali* part. 1. cap. 2. demonstravi. Idcirco in philosophia veterum gentilium luculenta inveniuntur testimonia de creatione mundi in tempore facta; quæ studiose collegit *Hugo Grotius* lib. I. §. 16. *de veritate religionis Christianæ*, pag. 29. seqq. edition. *Kœcherianæ*. Certe per

prin-

principium rationis sufficientis ex ratione creatio mundi ex nihilo *a priori* demonstrari potest. Conf. celeb. *Isr. Th. Canzii* us. philos. Wolff. in theol. tom. 1. p. 196. sqq. 208. seqq.

§. VI. Agnoscamus igitur divinæ revelationis, in sacris Bibliis contentæ, præstantiam, quæ ita historiam creationis ob oculos nobis constituit, ut & omnipotentiam DEI ex modo creationis, & sapientiam ex ejusdem ordine, & bonitatem ex rerum creatarum ratione ac scopo intelligere queamus: deinde majestatem & omnipotentiam supremi Numinis pie suspiciamus: dona creatoris benignissimi grato animo agnoscamus & adhibeamus; & caveamus, ne alios lædendo homines communem offendamus creatorem, Job. 33, 6. Prov. 14, 31. Mal. 2, 10.

§. VII. Inter res creatas sive creaturas primum locum obtinent *invisibiles*, sive spiritus finiti & dependentes, seu *angeli* Ps. 104, 4. Coloss. 1, 16. Hebr. 1, 7. Ab his vero factum esse creationis initium, maxime est probabile: nam

a) a simplicibus pro sua sapientia progreditur DEUS ad composita; cum vero homo sit sub-

substantia maxime composita, veri utique est longe similimum, angelos, substantias simplicissimas, omnium primos fuisse conditos.

β) ipsa sacra scriptura testatur, in fundatione terræ jam adfuisse, Deumque celebrasse angelos Job. 38, 4. 7, coll, 1, 6. 2, 1. Conf. summe reverendi *D. Jo. Henrici Michaelis* comment. *in librum Jobi* p. 495. seqq. & reverendi *Ren. Andr. Kortümii* paraphr. *lib. Jobi* pag. 253. seqq. adde celeb. *Franc. Burmanni* Bibliſche Wercke p. 6. & 7.

§. XIII. Angeli sunt spiritus finiti & completi. *Spiritus* autem nomine exprimo *substantiam materiæ expertem, intellectu & voluntate, itemque potentia agendi in corpora, & hinc varias edendi operationes, præditam.*

§. IX. Differunt angeli a DEO, quod spiritualis eorum essentia est dependens & finita: differunt ab anima separata, quod eorum substantia est completa; differunt a creaturis reliquis, quod gaudent intellectu & voluntate libera.

§. X. Novimus quidem ex codice sacro, angelos in adsumtis adparuisse corporibus, e. g. Gen. 18, 2. 8. Jes. 6, 2. verum luculenter adparet, eos corpora, ex subtilissimis aëris particulis confecta, adsumsisse non περιχορησικῶς sed παρατατικῶς. Confer bea-

beati *Dav. Hollazii*, clarisſimi viri, *exam. theolog.* p. 410. ſeq.

§. XI. Angelos creavit DEUS *Pater* Pſ. 104, 4. Hebr. 1, 7. *Filius* Coloſſ. 1, 16. *Spiritus Sanctus* Pſ. 33, 6. coll. 1. Reg. 22, 19.

§. XII. Angelorum omnium attributa ſunt

α) *vel negativa*, qualia ſunt

1) indiviſibilitas, cum materiæ ſint expertes:

2) inviſibilitas, cum ſint ſpiritus:

3) immutabilitas, immutabilitate phyſica, non morali:

4) immortalitas, cum non habeant internum in ſeipſis corruptionis principium:

5) illocalitas. Marc. 5, 9. 15. Luc. 8, 30. Conf. beati *Chriſtiani Donati* inſtitut. *pneumat.* Part. II. cap. 3. p. 431. ſeqq. & maxime reverendi *D. Jo. Zach. Hilligeri* inſtit. *pnevmat. eclect.* ſect. 2. cap. 2. pag. 79. ſeq.

β) *vel adfirmativa*, qualia ſunt.

1) *ſcientia*; quam intelligimus ex ejusmodi operibus, in ſacro codice illis tributis, quæ ſine intellectu peragi nequeunt, Jeſ. 6, 3. Epheſ. 3, 10. 1. Pet. 1, 12. 2. Sam. 14, 20. Cognoſcunt igitur DEUM creatorem, & ſeipſos, & res alias præter ſe a DEO conditas, quæ intellectui eorum puro conveniunt. Cogitationes

tiones hominum non nisi ex signis & effectibus intelligunt. Futura contingentia, vere talia, nullo modo cognoscunt, Jes. 41, 23. 45, 21. In quibusdam eorum cognitio tantum probabilibus innititur argumentis. Conf. beati *D. Buddei* instit. *theol. dogm* lib. 2. cap. 2. §. 23. 24. & optimi *Reinbeckii* lib. cit. p. 255. seqq.

2) *libertas voluntatis*, quæ in indifferentia ad opposita consistit. Vide, præter *Buddeum*, celeb. *Reinbeckium* l.c. p. 257. seq.

3) *potentia*, Ps. 103, 20. Luc. 11, 21. Matth. 4, 5. 8. Act. 8, 39. 2. Reg. 19, 35. veruntamen finita. Habent vero potentiam agendi & in spiritus, unde oritur communicatio cogitationum, quam improprie *loquelam angelorum* nuncupant. Vid. *Buddeus* loc. cit. §. 27. & in corpora Gen. 19, 10. 11. 18. 2. seq. 2. Reg. 19, 35. Ps. 78, 49. Act. 5, 19. 2. Petr. 2, 11. Gen. 18, 2. seqq. Luc. 1, 26. seqq. 2, 9. licet modus, quo agunt in corpora, nobis ignotus sit.

4) *duratio æviterna*. Vid. *Hilligeri* l. c. p. 82.

5) ubietas definitiva.

6) agilitas. Vid. *Hollazii* exam. theol. p. m. 417.

§. XIII.

§. XIII. Insignem esse angelorum numerum, sacer codex quam clarissime indicat, Ps. 68, 18. Dan. 7, 10. Matth. 26, 53. Marc. 5, 8. 9. Heb. 12, 22. Diversos quoque eorum esse ordines, at nobis ignotos, & solis tantum nominibus diversis indicatos, ex Ephes. 1, 21. Daniel. 8, 16. 1. Petr. 3, 22. Coloss. 1, 16. 1. Thess. 4, 16. cognoscimus. Utrum ordines istos semper servent, an in certis tantum functionibus? sacræ litteræ non indicant. Præterea donis tum naturalibus tum moralibus quidam aliis præstant; at specie & essentia inter se non differunt. Quoties vero Michaelis archangeli fit mentio, toties de angelo increato Jesu Christo sermonem esse, e.g. Dan. 10, 13. 21. 12, 1. Judæ v. 9. putat clarissimus *Ern. Frid. Neubauerus* differt. *de Michaele archangelo.*

§. XIV. *Status* angelorum duplex est: vel *originalis*, vel *originalem secutus.*

§. XV. Status originalis fuit *status gratiæ*, in quo a DEO eximia sapientia & sanctitate perfecta fuerunt ornati, & in via ad æternam beatitudinem constituti, ita tamen, ut ipsis concessa fuerit libertas arbitrii, Gen. 1, 31. Jo. 8, 44.

§. XVI.

§. XVI. *Status* originalem secutus est vel *miseriæ*, sive conditio tristissima illorum angelorum, qui sponte sua a DEO defecerunt; vel *gloriæ*, sive status felicissimus eorum angelorum, qui in sua erga creatorem obedientia perstiterunt: in quo lumine gloriæ illustrati & in bono confirmati sunt. Hinc ortum est *bonorum* & *malorum* angelorum discrimen.

§. XVII. Confirmatio bonorum in bono nihil est aliud, quam infusio luminis gloriæ, quo DEUM intuitive cognoscunt, & ἀναμαρτησία. Id quod probatur

α) *ex eorum visione DEI beatifica* Matth. 18, 10. At qui DEUM clare intuetur, non potest non intensissimo perpetuoque amore supremum Numen prosequi, ex quo gaudium perenne oritur summaque beatitudo; qui vero DEUM amat perpetuo, non potest peccare.

β) *ex sanctitate angelorum exemplari*, Matth. 6, 10.

γ) *ex æterna beatitudine hominum*, qui in vita æterna dicuntur futuri ἰσάγγελοι Luc. 20, 36. Quoniam itaque beatorum hominum sanctitas non poterit amitti, & angelorum bonorum sanctitas inamissibilis sit necesse est.

§. XVIII. Præterea angeli boni beneficio *confirmationis* nacti sunt scientiam excellentiorem, sanctitatem perfectiorem, li-

bertatem præstantiorem, potentiam majorem, concordiam arctiorem. Quod mala eligere nequeunt, summæ perfectionis argumentum est. De potentia eorum testantur clarissima scripturæ loca 2. Reg. 19, 25. Ps. 34, 8. Act. 12, 7. seq. Apoc. 12, 7.

§. XIX. Boni angeli operibus & officiis suis funguntur,

α) DEUM laudando Ps. 148, 2. Jes. 6, 2. DEUM adorando Ps. 97, 7. Hebr. 1, 7. Voluntatem DEI exsequendo Psalm. 103, 20. Dan. 7, 10.

β) Hominibus, præsertim piis, adsistendo: in vitæ ingressu Matth. 18, 10. in vitæ progressu Ps. 34, 8. 2. Reg. 6, 17. in vitæ egressu Luc. 16, 22.

γ) diabolis & hominibus malis resistendo, in statu ecclesiastico, 1. Tim. 5, 21 Gal. 3, 19. Jud. v. 9. in statu civili Dan. 6, 22. 10, 13. in statu œconomico Gen. 24, 7. Job. 1, 10.

§. XX. Angeli mali dicuntur mali, non propter essentiam, quam habent a DEO; sed propter apostasin spontaneam, qua voluntario liberi arbitrii abusu in felici gratiæ statu non perseverarunt, sed creatori sese opponendo & ab eo desciscendo facti sunt DEI hominumque hostes perpetui, æternis torquendi cruciatibus, Jo. 8, 44. 2. Petr. 2, 4. Judæ v. 6.

§. XXI.

§. XXI. Primum malorum angelorum peccatum fuit ſuperbia: quam comitabantur plura peccata, contemtus æterni Numinis, detrectatio obſequii, & id genus alia; id quod probabili ratione conjicimus ex eo,

α) quia Satanas idem peccatum videtur commiſiſſe, ad quod patrandum inſtigavit protoplaſtos Gen. 3, 5. adde 1. Petr. 5, 6. 8.

β) quia variis machinationibus gloriam DEO debitam ſibi arrogat Matth. 4, 9.

γ) quia ſuperbia eſt mater invidiæ, qua ductus primos homines dedit in perniciem.

§. XXII. Gravitas autem peccati primi malorum angelorum ex eo elucet,

α) quia commiſſum eſt adverſus creatorem optimum maximum:

β) quia præſidiis ad malum declinandum ſatis inſtructi erant:

γ) quia deliberato conſilio & plena malitia peccarunt.

δ) quia DEUS angelos lapſos in perpetuam projecit damnationem, adductus juſtiſſimis cauſſis quas recenſet *b. D. Abrah. Calovius* tom. 4. Syſtem. theol. p. 319. ſeqq. ut ideo, etiam ratione *reatus* habita, infinitum ſit peccatum iſtud angelicum.

§. XXIII. Peccarunt autem angeli ſub certo quodam duce, qui vel ſuaſione vel exemplo ſuo plures ad peccati ſocietatem pellexit, Matth. 25, 41. Luc. 11, 15. Jo. 8, 44.

Apoc. 12, 4. Eos vero ante protoplastorum lapsum peccasse, tam certum est, quam quod maxime; licet dissentiant viri celeberrimi *D. Zeltnerus*, & *D. Oporinus*, itemque *Jac. Carpovius*. Vid. *D. Joach Oporini* erläuterte Lehre von den Engeln p. m. 226. 234.

§. XXIV. Angelis malis est quædam scientia, ita ut cognoscant DEUM, at cum tremore Jac. 2, 19. semetipsos; quædam futura, vel certo ex divina revelatione e. g. Job. 1, 12. 1. Reg. 22, 12. vel probabiliter ex ingeniis ac moribus hominum. Circa mala particularia habent quandam arbitrii libertatem. Potentia eorum magna est & humana major, Luc. 11, 22. Ephes. 6, 12. attamen ita ligata virtute divina, ut absque permissione divina nihil possint efficere Exod. 8, 18. Job. 1, 12. Matth. 8, 13.

§. XXV. Vivunt quidem angeli mali in statu damnationis, sed ita, ut ultima eaque æterna pœna illis adhuc immineat, 2. Petr. 2, 4. Matth. 25, 41. Neque id rationi adversatur. Nam infinitarum pœnarum ratio non ex sola culpæ duratione, sed & ex obligatione morali erga DEUM æstimanda est: & finiti ad infinitum utique exsistit pro-

proportio moralis; quid? quod Spiritus isti maligni peccare non desinunt. De reliquo omnia eorum opera sunt directa ad labefactandam divinam gloriam Gen. 3, 4. seqq. Apoc. 12, 7. ad damnum hominibus inferendum Job. 1, 12. seqq. Luc. 22, 31. Eph. 6, 11. 12. 1. Petr. 5, 8. & ad struendas insidias statui ecclesiastico 2. Tim. 3, 4. 2. Thessal. 2, 9. civili 1. Chron. 21, 1. Dan. 10, 13. œconomico Tob. 6, 17. 18. De obsessionibus & spectris scite exponunt beatus *Hollazius* lib. cit. p. 435. seq. & beatus *Buddeus* thes. *de atheismo* p. m. 579. sqq. 585. sqq. 279. 584. seqq. nec non celeb. *Jo Petri Reuschii pneumat. hypotheticam*: itemque *b. D. Mich. Fœrtschii* diss. *de pactis hominum cum diabolo.*

§. XXVI. Spiritus adhuc alios, præter DEUM hominisque animam, existere, ratio sana probe intelligit; id quod demonstrarunt *Buddeus* thes. *de atheismo* cap. 7. §. 3. *Syrbius* Part. 2. *philos. prim.* cap. 1. §. 4. & *Reinbeckius* lib. cit. p. 248. seqq. §. 55. Necessarium esse existentiam spirituum intelligit ratio, quorum cognitio cognitione hominum sit præstantior, licet finita, & potentia humana major, licet finita. Existentiam *malorum angelorum* ex origine mali

tuto colligimus; id quod demonstratum dedi in *philos.* mea *prima* seu *præparatoria* pag. 66. seq. Quod si homo rectæ rationis ductum sequi velit, haud difficulter intelliget, spiritus malos a prima creatione non exstitisse tales, sed ex sapientia & bonitate DEI bonis primum dotibus fuisse præditos. Licet vero rationi penitus lateat, quæ istius lapsus causa fuerit; facile tamen colligit, eos propria ipsorum culpa postea excidisse illa felicitate. Exsistere quoque *angelos bonos*, probabili ratione, vi oppositorum, colligimus: & testimonia eorum, qui DEUM in custodiendis probis hominibus usum fuisse spiritibus bonis perhibent, non negligimus, sed potius adprobamus. Idque ipsi gentiles, ductum rationis secuti, agnoverunt. Vid. beati *Tob. Pfanneri* syst. *theol. gent.* p. 177. & *Hilligeri* instit. *pnevmat. eclect.* p. 88. 89.

§. 27. DEO pro præsidio bonorum angelorum agamus gratias Dan. 6, 22. eorumque sanctitatem imitemur Matth. 6, 10. Contra ea a tentationibus malorum angelorum nobis caveamus 2. Cor. 11, 3. eorumque conatibus resistamus Jac. 4, 7. Conf. bea-

beati celeberrimique *Buddei* inſtit. *theol. mor.* Part. I. cap. 2. §. 26. ſeqq.

§. XXVIII. Inter res creatas viſibiles eminet homo, cujus partes eſſentiales ſunt corpus & anima: illud conſpicit & ſentit externis ſenſibus; hanc intelligit ex ejusdem facultatibus, Gen. 2, 7. coll. Kohel. 12, 7. Matth. 10, 28. Corpus hominis creatum & formatum eſt ex terra Gen. 3, 19. corpus noſtrum prorſus mirifice eſt conſtructum Pſ. 139, 14, & reliquorum animalium corporibus longe antecellit. Anima non condita eſt ex terra, ſed immediate eam ex nihilo productam cum corpore DEUS conjunxit. Animam hominis eſſe ſpiritum & ſcriptura teſtatur Kohel. 12, 7. Luc. 23, 46. Act. 7, 58. & ſana ratio manifeſto intelligit, Vid. celeb. *Syrbii* inſtit. *philoſ. prim.* Part. I. cap. I. & beati *Thümmigii* inſtit. *pſycholog.* ſect. I. pag. 116. ſeqq. tom. 1. *philoſ. Wolffianæ.*

§. 29. Hæc conſideratio nos incitare debet, ut creationis hominum hiſtoriam demiſſo animi cultu & grata mente miremur, ut conſolationem in rebus adverſis ex ea capiamus, ſecundum exemplum Jobi cap. 10, 8. ſeqq. conf. Pſ. 103, 13. 14. utque a ſol-

licitis anxiisque curis nos abstineamus Matth. 6, 8. 25. 26. 32. Spiritualitas animæ avocat nos a stultis eorum conatibus, qui animam exsatiare cupiunt rebus terrestribus atque caducis.

§. XXX. Creationem protoplastorum utriusque sexus describit Moses Gen. 1, 26. seqq. 2, 18. seqq. Eorumque conjugium quoque sexto creationis die institutum & consummatum esse, recte inde colligimus. Veneremur igitur divinæ revelationis præstantiam, quæ generis humani originem, primosque hominum parentes, nobis ita manifestavit, ut nihil invenire queat ratio, quod huic narrationi opponat.

§. XXXI. Finis totius creationis est gloria sapientiæ, potentiæ & bonitatis divinæ, ab hominibus agnoscenda & concelebranda, Ps. 104, 1. seqq. 136, 1. seqq. Rom. 1, 20. Conf. *D. Langii* hist. eccles. V. T. pag. 6. seqq. & summe reverendi *D. Henr. Ern. Oweni* Lust am Gesetz des HErrn, p. 20. seq. itemque *D. Maji* theol. mor. p. 35. seqq.

LIBER II.
CAP. IV.
DE
PROVIDENTIA DIVINA.

Σύνοψις.

Providentiæ definitio, §. 1. *objectum*, §. 3 *forma*, §. 4. 5. *quomodo ea versetur circa actiones hominum*, §. 6. *ejus finis*, §. 7. *ea probatur ex ratione*, §. 8. *usus hujus doctrinæ*, §. 9.

§. I.

Providentia divina est actus DEI trinunius, quo is res creatas omnes ac singulas, in specie genus humanum, & in eo præcipue pios, conservat, & omnia ita gubernat, ut caussis liberis suam relinquat libertatem, ad nominis sui gloriam, hominumque salutem.

§. II. Opus providentiæ tribuitur DEO *patri*, Ps. 139, 2. Matth. 6, 26. 32. Jo. 5, 17. *filio* Jo. 5, 17. Coloss. 1, 17. Hebr. 1, 3. & *spiritui sancto*, Act. 13, 2. 1. Cor. 12, 11.

§. III. *Objectum* providentiæ divinæ

*) *Generale* sunt omnes res creatæ, etiam minimæ & vilissimæ Ps. 104, 14. seqq. 115, 16.

17. Job. 28, 25. Matth. 6, 26. 10, 29. Conf. beati *D. Ad. Rechenbergii* diſſ. *de providentia DEI circa minima.*

β) *Speciale* ſunt homines, ita ut providentia ſeſe extendat ad eorum

1) *vitæ ortum*, Job. 10, 8. ſeqq. Pſ. 71, 6. 139, 14. ſeqq. Jer. 1, 5. Act. 17, 25. Jo. 9, 1. ſeqq.

2) *vitæ progreſſum*, Gen. 48, 15. ſeqq. Job. 34, 21. Pſ. 91, 1. ſqq. Matth. 6, 25. ſqq.

3) *vitæ egreſſum.* Ubi conſiderandus eſt *terminus vitæ*,

א) *ut* conſtitutus & *naturalis*, Job. 14, 5. conf. Gen. 47, 28. ſeqq. Pſ. 90, 10. ita tamen, ut divinum decretum cauſſas ſecundas non excludat, e. g. regulas diætæ, uſum medicamentorum, indolem temperamenti tum phyſici tum moralis. Attamen (verbis *D. Jo. Hülſemanni* utor) neque omnis, neque nullus, humanæ vitæ terminus peculiari Dei voluntate ſic conſtitutus eſt; in *Breviar.* cap. 4. §. 11. Conf. b. *D. Bechmanni* not. in *Hutteri comp. theol.* p. 342. ſqq. & b. *D. Jo. Fechtii* Philocal. ſacr. p. 53.

ב) *ut mutabilis*; vel ab homine ipſo, qui quidem non prorogare, attamen præcidere & abrumpere,

pere, potest vitæ suæ terminum, e. g. Act. 27, 31. coll. Matth. 6, 27. vel a DEO, qui, subserviente causarum secundarum ordine, terminum vitæ, vel *piis* gratia ductus præcidit, ut ex imminentibus calamitatibus eripiantur, e. g. 2. Chron. 34, 28. Jes. 57, 1. 2. vel iisdem prorogat e. g. 2. Reg. 20, 6. 2. Cor. 1, 8. seqq. vel *impiis* abrumpit, justitia vindicativa ductus e. g. 1. Sam. 2, 31. seqq. Psalm. 55, 24. 27. 2. Sam. 18, 9. sqq. 20, 22. Gen. 38, 7. 10. Jer. 28, 14. seqq. vel iisdem dilatat longanimitate ductus e. g. Exod. 9, 16. Rom. 9. 17. Jon. 3, 4. Genes. 6, 3. Conf. beati *D. Bechmanni* dissert. *de termino vitæ humanæ*. Alii Theologi *triplicem* constituunt *vitæ terminum*, nempe terminum *naturæ*, *gratiæ*, & *iræ*.

γ) *Specialissimum* sunt fideles, non solum *singuli* Ps. 33, 19. 1. Tim. 4, 10. Job. 1, 10. sed & eorum cætus, *ecclesia*, Psalm. 46. tot. Ephes. 5, 29. id quod historia ecclesiastica utriusque fœderis liquido confirmat.

§. IV. Forma providentiæ consistit in perpetuo actu

*) con-

α) *conservationis*, qua res creatas in naturalibus suis proprietatibus ac viribus sustentat, Act. 17, 28. Hebr. 1, 3.

β) *gubernationis*, cujus species sunt

1) *permissio*, partim ex justitia, partim ex sapientia & bonitate.

2) *impeditio*, e. g. Dan. 6, 22.

3) *directio ad certum finem*, e. g. Act. 4, 28. Gen. 50, 20. Phil. 1, 7. 12.

4) *determinatio*, e. g. Jes. 37, 29. Job. 1, 12. 2, 6. Matth. 8, 31. Conf. *D. Langii œcon. salut. evang.* p. m. 99. sqq. cujus ductum secutus etiam sum in *philosophia* mea *morali* Part. I. cap. 1. quemadmodum ille secutus est ducem D. *Jo. Wolffg. Jægerum* in *comp. theol. fœd.* p. 187. sq.

§. V. Ad providentiam divinam in sua latitudine spectatam pertinent

α) πρόγνωσις five præscientia, ratione intellectus, Act. 15, 18. Licet vero præscientia DEI sit infallibilis, ea tamen non tollit contingentiam futurorum, ut ideo fiant necessario; id quod eleganter ostendit beatus *D. Jo. Wandalinus* in *exposs. sacr. Theol.* p. m. 41. 71. ubi, *præscientia*, inquit, *non magis est caussa futurorum contingentium, quam memoria est præteritorum. Nisi futura essent, non præscivisset DEUS; sed non fiunt, quia præscivit.* Conf. *D. Sam. Clarckii* geistl. Reden part. I. p. 236.

p. 236. sqq. & ejusdem *dem. exsist. DEI* pag. 139. sqq. & *præparationem* meam *evang.* part. I. pag. 108. sq. & p. 19. Præscientiæ divinæ, & individualis, & falli nesciæ, exempla conspicimus Gen. 18, 17. Act. 13, 22. Joan. 1, 48. 17, 20. Luc. 22, 32. Act. 9, 15. 18, 10.

β) προθεσις sive propositum & decretum, ratione voluntatis, Act. 2, 23.

γ) διοικησις seu ipsa conservatio & gubernatio; quæ fit in tempore: cum priores sint actus providentiæ æterni.

De reliquo tres hosce providentiæ divinæ actus ex dicto Pauli Eph. 1, 11. eleganter deduxit beat. *D. Jo. Ad. Scherzerus* in *System. Theol.* pag. 126. editionis anno 1691. evulgatæ.

§. VI. Actiones hominum vel bonæ sunt vel malæ. Circa *bonas* ita versatur divina providentia, ut eas supremum Numen præcipiat, adjuvet, adprobet, & ex gratia remuneretur, Philipp. 2, 13. Gal. 6. 8. 9. Circa *malas* ita occupatur, ut ad *materiale actionis* remotum, *concursu generali*, concurrat σωστικῶς, vires naturæ, quibus homines abutuntur, quidem conservando; non autem ad *formale actionis*, quatenus est mala. Ratio igitur sufficiens actualitatis determinatæ

tæ hujus vel illius actionis non in DEO, sed in solo homine, quærenda est; in DEO vero tantum ratio possibilitatis: nam malas actiones generatim aversatur & prohibet, Ps. 5, 5. &

α) partim impedit. e. g. Gen. 20, 6. 19, 11. 31, 24. 29. Exod. 14, 27. 28. Num. 22, 12. 1. Reg. 13, 5. iisque terminos ponit. Jes. 37, 29.

β) partim permittit,

1) vel ex justitia, respectu improborum quibus partim ista permissio est traditio in mentem reprobam, Ps. 81, 12. 13. Rom. 1, 27. 28. Rom. 9, 17. partim pœna eorum peccatis debita.

2) vel ex sapientia, dum ex malis bonum elicit, Gen. 50, 20. Act. 4, 28.

3) vel ex bonitate, respectu proborum, quibus illa permissio cedit in agnitionem infirmitatis suæ, Jer. 31, 19. Luc. 22, 32. 17, 32. & in δοκιμασίαν fidei & patientiæ illorum Jac. 1, 12. Hebr. 12, 5. sqq.

γ) partim permissas ad bonum finem dirigit, Jes. 10, 6. seqq. Prov. 3, 11. 12. Hebr. 12, 5. sqq.

δ) partim variis modis justissime punit, e. g. 2. Sam. 24, 1. seqq.

Circa *fata* hominum DEUS ita versatur, ut summas suas perfectiones manifestet, nimirum sanctitatem, bonitatem, potentiam, sapien-

pientiamque. Conf. celeb. *Wilhelmi Scherlockii* libr. *de providentia DEI*, & *institut.* meas *theol. natural.* Part. I. cap. 4.

§. VII. *Finis* providentiæ *proximus* est salus & utilitas piorum Rom. 8, 28. respectu impiorum demonstratio potentiæ & justitiæ DEI, Rom. 9, 17. *ultimus* est gloria DEI, Ps. 104. 136. 148.

§. VIII. DEUM rerum a se conditarum, inprimis hominum, providam curam gerere, sana ratio haud difficulter intelligit, dum perpendit

α) summam summi Numinis sapientiam, benignitatem & potentiam:

β) conditionem & indigentiam rerum creatarum omnium.

γ) certos omnium rerum fines:

δ) constantem rerum harmoniam, perpetuamque in servandis ordinibus temporibusque constantiam:

ε) pœnas ac judicia DEI, itemque remunerationes, quæ quotidie in vitæ humanæ consideratione nobis sese offerunt. Conf. *philosophiam* meam *moralem* Part. I. cap. 1. Quæ athei objicere temere solent, egregie confutata sunt a beato *Buddeo* in thes. *de atheismo* cap. 7. §. 1. p. m. 548. seqq. & a summe reverendo *Lamp. Gedickio* in *verit. prim. rel.*

rel. Christ. cap. 4. p. 72. seqq. adde *Grotii* lib. 1. *de verit. rel. christ.* §. 10. seqq.

§. IX. Ille vero doctrina de providentia DEI recte utitur, qui luculenta ejusdem vestigia per omnem vitam suam grato agnoscit animo, ita ut fiducia in DEO collocata corroboretur subinde & incrementa capiat, 1. Petr. 5, 7. qui rebus a DEO sibi donatis contentus est, sibique pie persuadet, suam salutem DEO curæ esse, qui optime novit, quæ sint utilia: qui omnes mutationes ac calamitates æquo fert animo, certissimeque sperat, fore, ut præter opinionem supremum Numen omnia ad bonum finem dirigat, Dan. 2, 11. Kohel. 8, 12. Mal. 3, 16. qui omnibus rebus ad DEI laudem & gloriam utitur: & qui denique se totum provido patri committit, omnes curas in hunc devolvit, & in hujus benignissima voluntate adquiescit. Conf. *D. Maji theol. mor.* p. m. 28. 37. 40.

LIBER III.
CAP. I.
DE
IMAGINE DIVINA.

Σύνοψις.

Status integritatis hominum, §. 1. *imago DEI, quid sit?* §. 2. *in quo non consistat*, §. 3. 4. 5. *forma ejus*, 6. *seqq. subjectum & finis*, §. 10. *hæc doctrina sanæ rationi non repugnat*, §. 11. *magnum habet usum*, §. 12.

§. I.

Pervenio ad considerationem hominis, cum in statu integritatis, tum in statu peccati. In illo statu labis omnis omnisque vitii homo erat expers, conditus ad imaginem DEI, Gen. 1, 26. 27. 9, 6. Jac. 3, 9.

§. II. *Imago DEI erat concreata perfectio, in qua primi homines, ratione sapientiæ in intellectu, & ratione sanctitatis in voluntate, naturalem cum DEO habebant conformitatem.*

§. III. Imago DEI, proprie loquendo, non consistebat in spirituali & rationali essentia animæ humanæ. Hanc enim homo post lapsum retinuit: & restauratio divinæ imaginis hac in vita non fit secundum ipsam animæ spiritualitatem, sed secundum ejusdem facultates: nec quivis spiritus gerit imaginem DEi, quatenus est Spiritus, sed quatenus perfectionem sanctitatis & sapientiæ habet.

§. IV. Deinde imago DEI proprie loquendo non consistebat in immortalitate corporis: nam nec DEUS corpus habet, Joan. 4, 24. Exod. 33, 20. 23. Jes. 40, 18. 25. nec in piis hac in vita restauratur corporis immortalitas.

§. V. Neque denique imago DEI, proprie accepta, consistebat in dominio in reliquas res creatas. Hoc enim, ceu ἐπίμετρον, DEUS homini ad ipsius imaginem condito concedebat Gen. 1, 28. 29. neque hoc in restauratione divinæ imaginis hac in vita recuperatur. Protoplastorum igitur in creaturas inferiores dominium, non pars divinæ imaginis, sed consequens quoddam aut appendix ejusdem dici potest, judice beato

D. Jo.

D. Jo. Wilh. Baiero, seniore, in *comp. theol. posit.* Part. I. cap. 4. §. 15. not. (c) pag. m. 299.

§. VI. *Forma imaginis divinæ* fuit conformitas cum DEO naturalis, ratione sapientiæ in intellectu, & ratione sanctitatis in voluntate; id quod quam clarissime adparet ex dictis Paulinis Coloss. 3, 10. Ephes. 4, 24. Per integrum annum protoplastos divinam habuisse ac retinuisse imaginem, probabili ratione conjicit summe reverendus *D. Reinbeckius* lib. cit. tom. 2. p. 75. sq.

§. VII. Ex integritate animæ, in suis facultatum dotibus, pendebat corporis *immortalitas: intrinseca* quidem ob præstantissimam naturalium qualitatum harmoniam, non tamen *absoluta;* id quod indicat conditio Gen. 2, 17. denuntiata. Conf. beati *D. Wandalini brev. exposit. S. Theol.* p. m. 57. 63. & perpende dicta Pauli Rom. 5, 12. 6, 23.

§. VIII. In intellectu, habitu scientiæ, sapientiæ & prudentiæ instructo, erat lux & veritas. In voluntate erat sanctitas, sinceritas, & habitualis προθυμία ad cognita, ex lege Protoplastorum cordibus inscripta, quælibet officia præstanda. Et ex his commemora-

moratarum animæ facultatum dotibus fluebat juſtum adpetitus ſenſitivi regimen, bene ordinatus membrorum corporis uſus, & ſumma animi tranquillitas.

§. IX. *Dona* illa, quibus homo ad imaginem DEI conditus erat dotatus, recte vocantur *naturalia:* non, quod naturam ſeu eſſentiam hominis conſtituerint; ſed, quod cum natura ipſa cœperint, eidem inhæſerint, eamque ornaverint atque perfecerint, & cum ipſa natura ad poſteros per generationem potuerint propagari, vi benedictionis divinæ Geneſ. 1, 28. 29. qua in re validiſſimum propagationis animæ humanæ argumentum latere plerisque videtur.

§. 10. *Subjectum quod* imaginis divinæ fuit Adamus & Eva; ſubjectum *quo* primarium facultates animæ humanæ, ſecundarium corpus Rom. 6, 13. 19. 12, 1, 2. *Finis* illius ex parte hominum *proximus* fuit ſtatus hominum beatus, *remotior* aut conſequens æterna beatitudo: quæ ſine impedimento ſecutura fuiſſet, ſi homo hanc imaginem retinuiſſet & propagaſſet; ex parte DEI ſapientiæ, potentiæ & bonitatis divinæ gloria.

§. XI.

§. XI. Sana ratio, licet felicitatem primi ſtatus hominum accurate non perſpiciat, tamen probe intelligit, eam, quam in homine jam deprehendit, corruptionem non profectam eſſe a DEO. Illa igitur, quæ divina revelatio de felici Protoplaſtorum ſtatu tradit, non reſpuit, ſed libenter potius amplectitur. Conf. ſumme reverendi *D. Clauswizii* Vernunft und Schrift in ihrer Ordnung, ſect. 3. cap. 1. & celeb. *Gedickii* lib. cit. pag. 6. p. 96. ſeqq. nec non clariſſimi & ſumme reverendi *D. J. C. Kœcheri* obſervat. in *Grotii* lib. 1. *de verit. rel. Chriſt.* §. 16. p. 41. ſeqq. adde doctiſſimi *Nic. Ern. Zobelii* diſſert. *de lapſu prim. hum. gen. parent. a paganis adumbrato.*

§. XII. Qui felicitatem ſtatus integritatis ea, qua par eſt, ratione conſiderat; non poteſt non ſummam DEI benignitatem celebrare Kohel. 8, 30. jacturam divinæ imaginis deplorare Jeſ. 64, 6. Rom. 3, 23. & omnem in id conferre operam, ut, divina adjuvante gratia, reſtauretur amiſſa imago divina, Eph. 4, 24. 5, 1. quo aliquando in futura beatitudine æterna pleniſſime eandem recuperet, 1. Cor. 15, 49. Divinæ enim imaginis reſtauratio *inchoatur* in regenera-

tione, Jo. 3, 5. Jac. 1, 18. 2. Petr. 1, 4. *continuatur* in quotidiana renovatione 1. Petr. 1, 15. 16. Ephes. 4, 23. 24. perficitur & *consummatur* in statu gloriæ Ps. 17, 15. 1. Jo. 3, 2. Conf. celeb. *D. Oweni* Lust am Gesetz des HErrn, pag. 15. 16.

LIBER III.

CAP. II.

DE LAPSV PROTOPLASTORVM.

Σύνοψις.

Lapsus definitio, §. 1. 2. DEVS non est ejus caussa, §. 3. 4. sed diabolus, §. 5. & ipsi primi homines, §. 6. 7. effectus lapsus, §. 8. 9. 10. origo mali, §. 11. 12. 13. 14. usus hujus doctrinæ moralis, §. 15.

§. I.

Lapsus protoplastorum fuit transgressio legis Paradisiacæ, ex instinctu Satanæ ita commissa, ut, violato DEI fœdere, divina imago amissa sit, & peccatum cum morte omnis generis successerit, atque in omnes eorum posteros

ros

ros ordine naturæ ex iis propagandos propagetur.

§. II. A Scholasticis doctoribus primum hoc peccatum dicitur *peccatum originis originans:* intima vero naturæ humanæ corruptio, quæ ex eodem fluxit, vocatur *peccatum originis originatum.* Nomine *lapsus* autem sæpius in sacro codice peccatum insignitur. e. g. Num. 14, 9. Deut. 32, 5. Jes. 1, 2. Zeph. 1, 6. Galat. 5, 4. Hebr. 4, 11. quare hanc vocem tuto adhibeo.

§. III. Primi hujus peccati caussa non est DEUS; id quod elucet

α) ex sanctitate divina, Ps. 5, 5.

β) ex serio peccati interdicto, Gen. 2, 17. 3, 3.

γ) ex donatione virium ad justum libertatis usum sufficientium.

δ) ex judiciaria peccati exprobratione, Gen. 3, 9. seqq.

ε) ex pœna, qua DEUS delinquentes protoplastos adfecit, Gen. 3, 14. seqq.

§. IV. Quod si quis quærere vero audeat,

α) *cur DEUS protoplastos non ita creaverit, ut labi haud potuerint?* sciat velim, postquam DEO visum fuit, hominem, id est creaturam rationalem, condere, rem ipsam postulasse, ut libertatem ei concederet, cum sine libertate

nullus sit rationis usus, &, quia libertate arbitrii præditus erat homo, violenta quadam ratione eum a peccato abstrahere nec sapientiæ nec justitiæ divinæ fuisset conveniens. Vid. *Buddei* thes. *de atheismo* cap. 7. §. 1. p. m. 554. Alias homines condendi fuissent, aut ut machinæ, aut ut dii. Vid. *Langii* œcon. *sal. evang.* p. m. 114. Nam si homini immutabilitas & peccandi impossibilitas fuisset tributa, hic sane non fuisset creatura, sed ipse DEUS.

β) *cur DEUS lapsum præviſum per absolutam potentiam non impediverit?* cogitet velim, sic futurum fuisse, ut, sublata voluntatis humanæ libertate, in machinam convertisset naturam humanam. Conf. *Canzii* l. c. tom. 1. p. 242.

γ) *cur Deus per præceptum de non comedendo fructu e certa arbore, vi præviſi eventus, occaſionem peccandi obtulerit?* sciat velim, primo DEUM occasionem probandi obsequii subministrare voluisse protoplastis: deinde libertatem primorum hominum, pro natura entis finiti, fuisse limitatam & ad obsequium DEO præstandum obstrictam: denique DEI prævisionem & præscientiam non peperisse necessitatem primi peccati, cum, quicquid fit vel exsistit, objectum quidem sit divinæ præscientiæ, non autem illius effectus.

§. V. Caussa primi hujus peccati externa fuerunt fraudulentæ Diaboli suasiones.

Alii

Alii putant, Diabolum usum fuisse serpente ἐνεργουμένῳ, e. g. ex recentioribus *Hollazius*, *Buddeus*, & *Frid Adolphus Meyerus*, qui im Glaubens-Grund und Lebens-Weg, pag. 97. memorabilem adfert observationem. Alii deceptorem fuisse solum diabolum contendunt, sine adhibito obsessoque serpentis naturalis organo, e. g. celeb. *D. Jo. Reinhardus Rusius* in dissert. *de serpente seductore*, & *D. Joach. Langius* in *œcon. salut. evangel.* p. m. 115. qui tamen in *hist. eccles. V. T.* pag. 10. 11. priorem sententiam amplexus fuerat, quam etiam tuetur beatus *D. Reinbeckius* l. c. tom. 2. p. 69. seqq. Prorsus peculiarem de protoplastorum seductore sententiam an. 1738. tuitus est S. R. *D. Jo. Christian. Klemmius*, theologus Tübingensis, in aliquot dissertationibus, in quibus adseruit, illum fuisse Satanam in angelum lucis seu Seraphinum transfiguratum, ratus, conferri debere Genes. 3, 1. sqq. cum 2. Cor. 11, 3. 13. sqq.

§. VI. Caussa lapsus protoplastorum interna & proxima fuit ipsa eorum voluntas libertate sua abutens, & Diaboli suasionibus morem gerens. Deprehendimus vero in hoc peccato

α) ἀπιστίαν, peccati omnis fontem:

β) adfectationem majoris conformitatis cum DEO, a Satana commendatam & promissam:

γ) inobedientiam internam, quæ per inordinatum fructus prohibiti adpetitum sese exserebat:

δ) propositum plenum transgrediendi legem:

ε) ipsum actum externum lege Paradisiaca prohibitum; cujus peccati atrocitatem & gravitatem cognoscimus, dum consideramus,

1) protoplastos ad declinandum peccatum viribus sufficientibus fuisse instructos:

2) æquum fuisse, ut primi homines legis alicujus positivæ observatione suum DEO probarent obsequium:

3) protoplastos per actum hunc comestionis de arbore vetita totius legis moralis, per imaginem divinam ipsis insitæ, repagula perfregisse, id quod eleganter ostendit beat. *Hollazius* in *exam. theol.* Part. 2. cap. 3. qv. 5. p. m. 553.

§. VII. Subjectum *quod* peccati primi fuit Eva & Adamus: illa immediate a diabolo ad peccatum sollicitata & pertracta est; hic a satana mediate per mulierem seductus est, cum Evæ ab eodem deceptæ, vetitique fructus manducationem suadenti, obtem-

optemperavit, Gen. 3, 1. seqq. 1. Tim. 2, 14. Diabolus per serpentem locutus est, sicut angelus per asinam Bileami Numer. 22, 21. sqq. 23. & 24. tot. & diabolus alias per obsessos e. g. Matth. 8, 16. 28. Marc. 5, 8. sqq. Præcipue contendisse videtur serpens ἐνεργέμενος, se manducatione fructus vetiti consecutum esse rationem facultatemque loquendi, simulque Evæ promisisse multo majorem dignitatem ac felicitatem. Joan. 8, 44. 1. Jo. 3, 8. Conf. meine Relig. Pred. p. 199. sq.

§. VIII. Effectus sive consequens peccati protoplastorum ex parte ipsorum fuit

α) *reatus culpæ*, cujus fœditas moralis adparet, cum ex majestate legislatoris actu illicito læsi: tum ex peccati amplitudine & violatione virtuali omnium decalogi præceptorum: tum ex præsidiis, quibus primi homines contra lapsum muniti erant; tum ex legis præscriptæ facilitate.

β) *reatus pœnæ*, quæ pressit culpam ceu comes individua Gen. 2, 17. Hinc orta est jactura divinæ imaginis, conjuncta cum morte spirituali, tanquam radice mortis temporalis & æternæ: & imago seu larva satanæ 1. Joan. 3, 8. totum hominem deformans. Istius jacturæ signa fuerunt prodita

1) pudore & velatione:

2) me-

2) metu, DEI judicis examen reformidante:
3) fuga & occultatione, indicibus vulneratæ turbatæque conscientiæ:
4) excusatione frivola, corrupti animi charactere:
5) pœnitentia, quæ prot-evangelio locum faciebat. Conf. *D. Langii* hist. *eccles. V. T.* pag. 11.

§. IX. Post lapsum DEUS partim justum & iratum judicem egit, partim misericordem patrem & salvatorem. Vt judex peccatores in judicium vocatos convictosque redarguit, mortemque omnis generis attractam justissime finit esse pœnam, cum variis hujus vitæ ærumnis ac molestiis conjunctam: & ipsi diabolo pœnam denuntiat. Vt pater & salvator perculsos judicio protoplastos prot-evangelio erigit, & molestias, quæ hac in vita homines premunt, in salubre peccati μνημόσυνον convertit. Conf. *b. D. Jo. Ad. Osiandri* comment. in Genesin p. m. 110. seqq.

§. X. Restat effectus & consequens lapsus primorum hominum, ex parte posterorum. Cum Adamus, repræsentator generis humani, imagine divina, bono illo communi, hæreditario, & ad posteros traducen-

ducendo, justissimo DEI judicio privaretur; una omnes homines eodem orbati sunt, ita, ut peccatum Adami omnibus ipsius posteris vere & juste imputetur. *In qua imputatione*, inquit D. Langius, *cum DEUS non personas nostras, quæ tunc nondum exstiterunt, sed naturas nostras, quas ex Adamo accepimus, respexerit; cum labe ipsa inhærente etiam reatus a capite in universum genus humanum, tanquam corpus, ut a radice seu stirpe in universam arborem omnesque ejus ramos, transiit, Rom. 5, 12. seqq.* Vide ejusdem *œcon. sal. evang.* p. m. 120. Conf. *Hollazii* libr. cit. p. m. 556. seqq. & clarissimi *D. Clauswizii* Vernunft und Schrift in ihrer Ordnung, pag. 404.--443. nec non celeb. *D. Reinbeckii* l. c. tom. 2. p. 194. sqq. Adde S. R. *D. Sigism. Jac. Baumgartenii* dissert. *de imputatione peccati Adamitici.*

§. XI. Jam ut ad philosophicam originis mali considerationem perveniam, ordinis præscripti exigit ratio. Homo rectæ rationis ductum sequens cognoscit, humanam naturam esse depravatam, eamque ad vitia quævis propendere. Prava hæc natura non est a DEO. Homo ante istam naturæ corruptionem noluit sese præcipitare

in

in perniciem. Angelus bonus noluit, hominem in perniciem prolabi. Is vero, qui ex felicitate, in qua primum a DEO conditi erant, homines in tantum malum dejecit, non potest non esse spiritus; cum mali spiritualis caussa non possit esse materia. Ergo tanti mali caussa est spiritus malus. Conf. *philos.* meam *primam*, seu *praeparatoriam*, p. 66. sq.

§. 12. Cum vero, ex lapsu non voluntario tantam infelicitatem humano generi subnatam fuisse, contra justitiam DEI adseratur; probe primo notandum est, libertatem voluntatis primorum hominum, pro natura entis finiti, ideoque non immutabilis, non sustuliisse possibilitatem lapsus, sed potius *labilitatem* (ut verbis perillustris & doctissimi *Bülffingeri* utar) fuisse *consectarium finitudinis* creaturæ rationalis. Vid. ill. & summe reverendi *G. B. Bülffingeri* dilucid. philos. *de* Deo, *anima & mundo* p. 553. & *D. Clauswizii* lib. cit. pag. 391. seqq. Deinde memoria teneamus necesse est, lapsum ortum esse non sine culpa libertatis, quam deprehendimus in non-usu & neglectu facultatum a DEO homini donatarum, quarum usu, in ipsius potestate posito, evitare lapsum

psum potuisset. DEUS vero ideo lapsum permisit, quoniam permissio cum omnibus suis circumstantiis, respectibus, antecedentibus, connexis, consequentibusque spectata, melior fuit impeditione similiter considerata: quoniam hæc DEI circa homines œconomia universim spectata fuit perfectior quacunque alia, ideoque lapsus sine graviori emergente malo impediri non potuit. Est hæc ratio DEO ipsiusque perfectionibus digna: qui enim eligit inter plura possibilia illud, quod ceteris est perfectius & convenientius, is nihil admittit indignum. Vid. celeb. *Bülffingeri* lib. cit. p. 557. 577. ejusdemque librum peculiarem *de origine & permissione mali*, & *Clauswizii* lib. cit. p. 443. seqq. nec non summe venerabilis *Mich. Roloffii* zwey Predigten vom Ursprung und der göttlichen Zulassung des Bösen. Et confer celeb. *Canzii* lib. cit. tom. 1. p. 296. sqq. itemque celeb. *Jo. Petri Reuschii* differt. *de mundo optimo*, & S. R. *D. Christ. Frid. Tresenreuteri* dissertationes *de origine* & *de permissione mali*, in primis S. R. *J. G. Palmii* libellus peculiaris Teutonica lingua conscriptus.

§. XIII.

§. XIII. Peccatum a primis hominibus per naturalem generationem ad posteros propagatum esse & adhuc propagari, sanæ rationi eo minus repugnat, quo facilius perspicit, protoplastos ad posteros propagare non potuisse, quod ipsi non amplius habebant. Cum igitur generarent liberos, generabant utique tales, qui non solum orbati erant divina imagine, destituti luce intellectus & sanctitate voluntatis, sed etiam ad mala quævis propendebant, ducti errore intellectus & concupiscentia voluntatis. Universalitas autem peccati originalis, uti intelligitur e communi omnium hominum stemmate, ita quoque cognoscitur ex omnium experientia hominum, quæ etiam in infantibus, qui tamen prava exempla neque intelligunt neque imitantur, peccatum originale patefacit atque manifestat. Sicuti etiam tum infantes, tum adulti, tum senes moriuntur, quoniam peccatum originale etiam omnium corpora hominum corrupit atque contaminavit. Rom. 5, 12. 6, 23.

§. XIV. Neque reatus culpæ & pœnæ, qui hominem natura premere dicitur, sanæ rationi repugnat. Homo, creatura rationalis a DE-

a DEO, creatore & conservatore suo, dependet; ergo DEO competit jus, libertatem voluntatis nostræ ad obsequium voluntati ejus præstandum obstringendi. Quod si homo fini, ad quem factus est, adversatur, & imperata non facit obedienter; non potest non DEUS injucundos doloris sensus ei immittere, ut homo serii odii, quo DEUS in peccatum fertur, convincatur, experiaturque, se DEI subjectum esse imperio. Qui peccavit, non potest non acerbos sentire morsus conscientiæ: nam obligationis legis divinæ tanta vis est, ut, qui eam transgressus est, statim, & culpæ contractæ, & pœnæ divinæ metuendæ, reum se esse, intelligat. Status igitur peccati est status longe miserrimus. Hinc omnes omnino gentes in placando Numine irato fuisse occupatas, in historiarum monumentis deprehendimus. Vid. celeb. D. *Jo. David. Bajeri* diss. *de reliquiis theologiæ gentilis circa conversionem* cap. 1.

§. XV. Historiam lapsus recte considerans abstinet ab inconsulta curiositate, scrupulorum errorumque genitrice: miseriam suam & corruptionem naturalem deplo-

rat: Deique misericordiam, qui media ex ista emergendi & ad perennem salutem perveniendi revelavit, pie celebrat. Conf. meine Rel. Pred. p. 203. sq.

LIBER III.

CAP. III.

DE PECCATO.

Σύνοψις.

Peccatum in genere, §. 1. 2. *originale*, §. 3. *actuale*, §. 4. 5. *peccatorum actualium divisiones variæ*, §. 6. *seqq. peccatum in Spiritum S.* §. 16. *seqq. effectus peccatorum*, §. 18. 19. *vires liberi arbitrii*, §. 20. *usus doctrinæ hujus moralis*, §. 21. 22.

§. I.

Peccatum in genere *est aberratio a lege Dei, cum ea pugnans, & ex inhærente labe ejusmodi culpam contrahens, quæ, justitia* DEI *vindicativa id postulante, sub reatu dueit ad pœnam.*

§. II. Vanæ & ridiculæ sunt quorundam quæstiones, quibus disputant, an peccatum

tum dici possit *nihil?* e. g *D. Jo. Paul. Hebenstreitus* pag. 107. *Metaph.* Peccatum est & ἀνομία & ἀντινομία, ita, ut aberratio a lege divina non solum habeat sensum *privativum*, sed etiam *positivum:* in sensu privativo peccatum est discessio a DEO, omnis beatitatis principio, Hos. 7, 13. Psalm. 14, 3. in sensu positivo continet etiam ἀντινομίαν, crimen repugnantiæ ac læsæ majestatis divinæ Ps. 5, 11. Jes. 3, 8. Act. 7, 51. Rom. 8, 7. 7, 23. Conf. beati D. *Casp. Læscheri* theol. thet. in loc. *de peccato.*

§. III. Peccatum est vel (*) originale vel actuale. *Originale peccatum est habitualis totius humanæ naturæ corruptio, posita in imaginis divinæ privatione, & in prava concupiscentia & ad mala quævis inclinatione, a protoplastis per naturalem generationem in universum genus humanum traducta, per peccata actualia dominatum suum exserens, & hominem iræ divinæ & morti æternæ subjiciens.* Gen. 6, 5. Job. 14, 15. seq. Psalm. 51, 7. Jo. 3, 6. Rom. 5, 12. seqq. v. 18. seqq. 6, 23.

(*) Nemo theologorum accuratius doctrinam de peccato originali explicuit collaudato aliquoties *D. Reinbeckio* lib. cit. tom. 2. cap. 25. p. m. 167. seqq.

7, 18. 19. Eph. 2, 3. Hebr. 12, 1. Prov. 20, 9. Conf. beati *D. Buddei* hamartigeniam ex Rom. 5, 12. seqq. *demonstratam*, & differt. *de anima, sede peccati originalis principali*, tom. 3. *miscell. sacr.* p. 27. seqq. & p. 1105. seqq. nec non celeb. *Langii* œcon. *salut. evang.* pag. 132. seqq. Adde, quæ differit doctissimus *Canzius* lib. cit. tom. 1. pag. 27. 8. sqq.

§. IV. *Peccatum actuale est actio, vel actionis omissio, pugnans cum lege DEI.* Actionis autem vox hoc loco in latiori sumitur significatione, ita, ut etiam de cogitationibus, motibus, decretis, verbis & gestibus pravis accipiatur, Rom. 8, 13. Gal. 5, 29. Matth. 9, 5. 12, 36. 15, 19. Mich. 2, 1. Eph. 2, 3. 4. Psalm. 31, 19. Gen. 4, 5. 6. Ezech. 33, 31. Prov. 7, 10. seqq.

§. V. Caussa peccati actualis est in ipso homine, tentato

α) a semet ipso, Matth. 15, 18. 19. Jac. 1, 13. seq.

β) a pravo mundi schemate, Rom. 12, 2. 1. Petr. 1, 14. 1. Jo. 2, 15. seqq. unde oriuntur *scandala*, quæ *sunt dicta aut facta, quibus alius fit deterior* Matth. 18, 6. seqq. & dividuntur in scandala *data* 1. Sam. 2, 22. & *accepta* Matth. 15, 12. sqq. 1. Cor. 8, 13. Conf.

b. D.

b. D.Bechmanni adnot. in *comp. theol.D.Hutteri* p. m. 850. sqq.

γ) a diabolo, Matth. 4, 3. 1. Thessal. 3, 5. Eph. 6, 12. 16. 1. Petr. 5, 8. Vid. *b. D. Buddei* theol. mor. part. 1. cap. 2. §. 26. 27. sq. 62. sqq. 70.

§. VI. Peccatum actuale, ratione modi & animi peccantis habita, est

α) vel *voluntarium*, quod ex plena voluntate plenoque proposito proficiscitur, Jes. 16, 12. Ps. 58, 3. Rom. 3, 12. seq. vocatur etiam *proæreticum*, e. g. Gen. 4, 5. seqq. Jos. 7, 21. Ceterum voluntaria peccata alia sunt *regnantia*, alia *non-regnantia*: illa sunt impœnitentium, hæc resipiscentium. *Regnantia* peccata alia sunt *sine indurationе* e. g. 2. Sam. 11, 4. seqq. Matth. 26, 69. seqq. alia *cum indurationе*, in qua diabolus suggerit, homo obsequitur, DEUS deserit, e. g. Exod. 8, 18. 19. 32. 1. Reg. 21, 25. Ezech. 3, 7. Jer. 9, 17. coll. Prov. 14, 9. 1. Tim. 4, 2. Conf. *Bechmanni* lib. cit. p. 351. sqq. Totam *de indurationе* doctrinam luculenter ego exposui in den Rel. Pred. p. 218. seqq.

β) vel *involuntarium*, quod fit vel ex ignorantia, non quidem adfectata, attamen vincibili, ut Gen. 20, 5. 6. Num. 15, 27. 28. vel ex metu, ut Gen. 12, 12. 13. 26, 7. vel ex præcipitantia, ut 1. Sam. 25, 13. 22. 33. 34. Peccata involuntaria præcipue quidem sunt re-

genitorum Matth. 26, 41. Gal. 6, 1. Rom. 7, 15. seqq. attamen etiam in non-renatos cadunt, æstimanda ex habitu peccaminoso.

§. VII. Peccatum actuale, si spectes peccati materiale, est

α) vel *commissionis*, quando homo committit, quod DEUS omittendum nobis præcepit;

β) vel *omissionis*, quando homo omittit, quod DEUS committendum nobis præcepit, Hos. 4, 1. 2. Rom. 3, 10. seqq. Jac. 4, 17.

§. VIII. Peccatum actuale, ratione objecti immediati, est

α) vel *adversus DEUM*, e. g. blasphemia Levit. 24, 15. 16.

β) vel *adversus alios homines*, e. g. calumnia, furtum, cædes.

γ) vel *adversus nos ipsos*, e. g. ebrietas.

§. IX. Peccatum actuale, pro ratione relationis ad normam, est

α) vel *peccatum per se*, quod simpliciter ἀνομίαν involvit, e. g. violatio pactorum, adulterium &c.

β) vel *peccatum per accedens tale*, quod per se quidem vetitum non est, attamen respectu circumstantiarum defectum habet e. g. elargitio eleemosynarum vanæ gloriæ caussa, Matth. 6, 1. seqq.

§. X. Peccatum actuale, ratione propensionis dominantis, est

α) vel *voluptatis*,

β) vel

β) vel *ambitionis*,
γ) vel *avaritiæ*, 1. Jo. 2, 16.

§. XI. Peccatum actuale, ratione subordinationis actuum internorum & externorum, est

α) vel *cordis*, Matth. 15, 19.
β) vel *oris*, Eph. 4, 29.
γ) vel *operis*, Rom. 6, 19.

§. XII. Peccatum actuale, ratione actus formalis & moralis, est

α) vel *proprium*, a peccante ipso actu commissum;
β) vel *alienum*, seu participatum caussa morali intercedente, 2. Sam. 11, 4. 14. 15. coll. 1. Tim. 5, 22. 2. Reg. 10, 29. 1. Sam. 3, 13.

§. XIII. Peccatum actuale, si spectes notitiam aliorum, est

α) vel *manifestum*, quod præsentibus pluribus est patratum & cum scandalo aliorum est conjunctum, e. g. Judic. 19, 22. seqq.
β) vel *occultum*, cujus, præter auctorem, vel nemo vel pauci conscii sunt, e. g. 2. Sam. 11, 3. 4.

§. XIV. Peccatum actuale, ratione gravitatis, est

α) vel *clamans*, quod, vel tacentibus hominibus, DEUM ad publicam permovet vindictam. Quatuor præcipue peccata clamantia in sacro codice commemorantur, Gen. 4, 10.

18, 20. Exod. 3, 7. Jac. 5, 4. quæ sequentibus exprimuntur versibus:

Clamitat ad cœlum vox sanguinis, & Sodomorum,
Vox oppressorum, merces detenta laborum.

β) vel *non-clamans*, quod DEUS, pro sua longanimitate, tolerat, vel pœnam differendo, vel, si renati peccatum sit, condonando. Conf. beati *D. Jo. Andr. Schmidii* comp. *theol. dogm.* p. 150. 153.

§. XV. Peccata actualia, ratione consequentis seu eventus, sunt

α) vel *mortifera*, quæ peccanti actu secundo ad mortem imputantur, qualia sunt omnia non-renatorum peccata, Eph. 2, 1. Hebr. 9, 14. & illa delicta renatorum, quæ fidem excutiunt, 1. Tim. 1, 19. Jac. 1, 15.

β) vel *venialia*, quæ, licet per se morte digna sint, non tamen ad mortem peccanti imputantur, Rom. 8, 1. 13. 1. Jo. 1, 9. 2, 12. quia, qui peccat, non ideo desinit esse fidelis. Talia peccata sunt partim motus indeliberati fidelium, partim peccata eorundem, ex ignorantia & infirmitate patrata, quæ dolorem & pœnitentiam habent comitem. Conf. *Hollazii* lib. cit. p. 593. seq. & *Baieri* lib. cit. p. 442. seqq.

§. XVI. Peccatum actuale omnium gravissimum & irremissibile est *peccatum in Spiritum Sanctum*, quod est, ex plurimorum sententia, *veritatis divinæ, evidenter agnitæ & in*

& in conscientia adprobatæ, malitiosa abnegatio, hostilis impugnatio, horrenda blasphematio, omniumque mediorum salutis obstinata & finaliter perseverans rejectio. Ex quorundam vero sententia hoc peccatum tantum a Judæis patratum est, qui, Christum per Spiritum S. miracula perpetrare, negabant Matth. 12, 24. 31. Marc. 3, 28. 29. 30. Luc. 12, 10. Vide celeb. *D. Zeltneri* epist. ad D. Danzium *de pecc. in Spir. S.* & doctissimi *Adami Berndi* Predigt von der Sünde wider den heiligen Geist, über Luc. 11, 14. seqq. & celeb. *D. Rusi* tom. 1. *harm. evang.* p. 1015. sqq. conf. beati *D. Jo. Ad. Scherzeri*, beati *D. Jo. Musæi*, & beati *D. Mich. Fœrtschii* dissert. *de peccato in Spirit. S.* Adde beati *D. Jo. Ad. Osiandri* colleg. *theol. syst.* part. 3. pag. 104. seqq. Alii, omnes illos peccatum in Spir. S. committere, existimant, qui extraordinariam DEI in miraculis per Mosen, prophetas, Christum & apostolos editis, potentiam, animi malitia ducti, diabolo adscribunt; quorum primus est *b. D. Jo. Petr. Grünenbergius*, in *explic. catech. Lutheri.* Conf. meine Rel. Pred. p. 229. sqq. & celeb. *Jo. Diederici Winckleri*

leri Erörterung der Sünde wider den heiligen Geist.

§. XVII. Diversum ab hoc vulgo statuitur *peccatum in filium hominis*, quod est doctrinæ evangelicæ, vel nondum agnitæ oppugnatio e. g. 1. Tim. 1, 1. 13. vel jam agnitæ abnegatio, quæ ex metu periculi proficiscitur & blasphemiam non habet comitem e. g. Matth. 26, 69. Vide in primis Matth. 12, 32. Luc. 12, 10. & perpende, quæ scripsit laudatus *D. Rusius* tom. 2. *harmon. evangel.* pag. 597. qui peculiare in Christum peccatum non censet esse fingendum, ratus, per *filium hominis* Luc. 12, 10. intelligendum esse nudum hominem; ideoque conferri jubet 1. Sam. 2, 25. Ezech. 33, 24. Dan. 8, 17. Vir clarissimus, *Petrus Zornius*, illos in filium hominis peccare putat, qui humanam Christi naturam negant, illos ex adverso in Spiritum S. peccare, qui divinam ejus naturam negant, nixus dictis sequentibus Rom. 1, 4. Hebr. 9, 14. 1. Petr. 3, 18. 19.

§. XVIII. Effectus peccatorum est pernicies hominum Proverb. 14, 34. separant enim hominem a DEO Jes. 59, 2. hominem

nem reddunt DEO abominabilem Tit. 1, 16. attrahunt DEI iram Rom. 1, 18. merentur maledictionem Deut. 27, 26. Pſ. 119, 21. pœnas temporales Jerem. 2, 59. 15, 2. mortem temporalem Rom. 5, 12. 6, 23. Num. 27, 3. & damnationem æternam Rom. 5, 18. Phil. 3, 19. 1. Tim. 6, 9. Quo graviora vero ſunt peccata, eo graviores ſunt pœnæ Luc. 12, 47. 48. Matth. 11, 24. 23, 4. Huc pertinet graviſſima doctrina *de gradibus peccatorum* Matth. 7, 3-5. 23, 21. Ezech. 16, 47. 51. Joan. 18, 11. 1. Tim. 5, 8. 2. Petr. 2, 20. Nam e. g.

α) quo quis præſtantioribus animæ dotibus antecellit aliis, eo gravius delinquit:

β) quo quis majori opportunitate gaudet bene agendi, eo culpatius peccat eam negligendo:

γ) peccata *oris* & *operis* ſuperant gravitate peccata *cordis*:

δ) peccata, quibus DEUS directe læditur, graviora ſunt contra nosmetipſos aliosque commiſſis:

ε) quo plures leges ſimul violantur, eo deterior eſt actio:

ζ) peccata contra *leges naturales* ſunt graviora illis, quæ contra *leges poſitivas* patrantur:

η) peccata *commiſſionis* ſunt graviora peccatis *omiſſionis*:

θ) peccata voluntaria ſunt graviora non-voluntariis.

Conf.

Conf. celeb. *D. S. J. Baumgartenii* & celeb. *D. Rom. Telleri* dissert. *de gradibus & inæqualitate peccatorum.*

§. XIX. Gravitatem & atrocitatem peccatorum, simulque justitiam reatus culpæ & pœnæ, sequentia ratiocinia liquido confirmant. Quo major est excelsiorque dominus, quem peccatis lædo, eo gravior est culpa. Quo magis DEO obedientiam perfectam plena obligatione debeo, eo magis malitia mea pœnis digna est, qua glorioſissimam ejus majestatem proæreticis peccatis lædo. Quo sæpius DEUS dehortationibus a peccatis me retrahere laboravit, eo gravius vehementiusque meum facinus punire debet. Quo humilior sum, si respiciam æternam supremi Numinis Majestatem, & si meam humilitatem cum infinitis ejusdem perfectionibus conferam, eo dignior pœnis est mea malitia supremum Numen lædens. Quo pretiosior est redemtio mei, eo atrocius est peccatum, quo satanæ in deditionem & servitutem venio. Quo plura peccata a me committuntur, eo gravioribus pœnis mea adficienda est malitia. Quo diutius homo in peccatis perseverat, eo atrocior

cior ejus est condemnatio. Quo majus damnum mihi adferunt peccata, eo graviorem reprehensionem mereor. Hæc omnia, uti sana ratio haud difficulter perspicit, ita egregie explanata dedit clarissimus *Georg. Sarganeck*, Silesius, in peculiari programmate; cujus meditationibus ansam præbuit & facem prætulit illustris *Christianus Wolffius* in *specimine physicæ ad theologiam adplicatæ*. Conf. celeb. *D. Reinbeckii* tom. 2. *Medit. in August. Conf* p. 296. sqq.

§. XX. Ex peccati originalis depravatione intelligimus, *liberum hominis arbitrium*, non ratione essentiæ, sed operarionis spectatum (libertas enim homini adeo est essentialis, ut, nisi is liberam haberet voluntatem, humanam exuisset naturam) in statu peccati esse quidem aliquod in naturalibus, civilibus & moralibus rebus Rom. 2, 14. at nullum plane esse in spiritualibus, mere talibus, vel intelligendis, 1. Cor. 2, 14. Eph. 1, 17. 4, 18. Jo. 3, 2. sqq. Ps. 119, 18. vel faciendis Joann. 6, 44. 15, 5. Philipp. 2, 13. licet sit aliquod circa res spirituales, quoad actus externos & pædagogicos, (dicitur alias *libertas arbitrii circa usum medii*. conf. Amos. 8, 12. Marc. 6, 20. Act. 13, 7.). Conferatur *articulus XVIII. Augustanæ Confessionis*, quem optime illustrat *Reinbeckius* l. c. tom. 2. p. 407. sqq. Caveamus vero, ne arbitremur, hanc de viribus liberi arbitrii doctrinam repugnare sanæ rationi: nam philosophia nescit, quid opponat

ponat scripturæ, adserenti, hominum gratia destitutorum singulas actiones moraliter malas esse; id quod eleganter ostendit summe reverendus *D. Jac. Wilh. Feuerlinus* in dissert. *de libero arbitrio, sect. 3.* Neque ex naturali impotentia consequitur, DEUM præcepisse impossibilia: nam quod hodie corruptis hominibus est impossibile, possibile fuit primis hominibus: lapsus hominum æternæ & immutabili legi divinæ non potuit inferre mutationem: & quod per solas naturæ vires est impossibile, possibile fit per gratiam, efficacem in omnibus, qui non resistunt.

§. XXI. Consideratio peccati impellere nos debet ad agnitionem & deplorationem miseriæ nostræ Rom. 7, 24. ad sinceram ac seriam humilitatem Esdr. 9, 6. ad odium peccati Gen. 39, 9. Jos. 22, 29. ad suppressionem pravarum cupiditatum Gen. 4, 7. Rom. 6, 12. & ad ardentissimum desiderium gratiæ divinæ in merito Christi fundatæ Luc. 18, 13. Matth. 5, 6.

§. XXII. Consideratio virium liberi arbitrii impellere nos debet, *primo* ut vires naturæ adhuc reliquas recte & utiliter adhibeamus, exploremus & excolamus: deinde, ut, memores imbecillitatis naturalium virium, & necessitatem & utilitatem operationum gratiæ divinæ agnoscamus; & denique ut ardentibus precibus divinam gratiam expetamus, & ad spiritualem experientiam avida cupiditate incensi rapiamur.

APO-

APODIXEOS

THEOLOGIÆ THETICÆ REVELATÆ

PARS SECVNDA

QVÆ

LIBROS IV. V. ET VI.

COMPLECTITVR.

AVCTORE

D. LAVRENTIO REINHARDO,

Regiomontano Franco.

2. Timoth. I, 13.

ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

VIRIS CELEBERRIMIS,

D. Jo. Balth. Bernholdo,
Theologo Altdorfino primario,

D. Jo. Christ. Klemmio,
Theologo Tübingensi,

D. Romano Tellero, &
D. Christiano VVeisio,
Theologis Lipsiensibus,

D. Alb. Menoni Verpoortennio,
Theologo Dantiscano,

L. VVigando Kahlero,
Theologo Rinteliensi,

L. Christiano Kortholto,
Theologo Gœttingensi,

Jo. Leonh. Reckenbergero,
Philologo sacro Jenensi,

honoris & memoriæ caussa
hanc alteram Theol. Dogm. partem
D. D. D.

AVCTOR.

I. N. J.

I. N. J.

LIBER IV.
DE
PRINCIPIIS SALVTIS.

CAP. I.
DE
BENEVOLENTIA DEI PATRIS ERGA HOMINEM LAPSVM, CVM VNIVERSALI, TVM SPECIALI, QVAM *PRÆDESTINATIONEM* VOCANT.

Σύνοψις.

Principia salutis tria sunt, §. 1. 2. 3. *benevolentia DEI universalis & specialis*, §. 4. *voluntas DEI antecedens & consequens*, §. 5. *universalis gratia*, §. 6. 7. 8. prædestinatio, §. 9. 10. *ejus forma*, §. 11. *seqq. adjuncta*, §. 15. 16. *usus hujus doctrinæ moralis*, §. 17.

§. I.

Homo peccator, si sanæ rationis ductum sequi velit, facile perspicit, mutationem status sui miserrimi, in quem per peccatum prolapsus est, a benignissimo DEO esse exspectandam; id quod supra in *Theol. Naturalis apodixi pædagogica* luculenter demonstravi. Modum igitur, quo in beatum restitui peccator queat statum, dum monstrat sacra scriptura, veræ revelationis divinæ quam planissime manifestat characterem; uti ostendi *loco citato*. Naturalibus certe viribus tantum adjutus homo nunquam sese emendare & in divinæ statum gratiæ transferre potest: natura enim peccato corrupta non potest non corruptos proferre fructus. Nova ergo ex DEO creatio accedat necesse est utique, ut ad beatam cum sanctissimo DEO communionem pervenire queat homo beatitudinis cupidus. Quæ igitur *de principiis salutis hominum* tradit sacer codex, tantum abest, ut sanæ rationi adversentur, ut ejus defectum suppleant, infinitoque infinitæ felicitatis desiderio, quo omnes natura instigantur homines, satisfaciant.

§. II.

§. II. *Principia salutis* sunt actus gratiæ divinæ, a quibus hominum salus dependet Ephes. 2, 8. *Primum* est benevolentia DEI patris erga hominem lapsum, qui mundum universum amando, filiumque dando mediatorem, ostendit se salvatorem benevolum. *Secundum* est redemtio Christi a peccatis eorumque pœnis. *Tertium* est gratiosa & per certa media efficax Spiritus Sancti operatio, qua parta per Christum salus offertur & confertur: nam cum medium fruendi redemtione Christi sit vera fides, in ejusdem defixa merito; accendit hanc Spiritus Sanctus in animis hominum, qui ideo dicitur *Spiritus fidei* 2. Cor. 4, 13.

§. III. Tria hæc salutis principia ipse redemtor humani generis indicat Joan. 3, 16. & olim in veteri fœdere significabantur triplici benedictione Num. 6, 24. 25. 26. quæ etiam latet in voto Paulino 2. Cor. 13, 13. Propter tria illa beneficia, quibus salus nostra inchoatur & consummatur, tres divinitatis personæ dicuntur *testes salutis nostræ in cœlo* 1. Jo. 5, 7. 11. Conferantur & ponderentur, dicta eximia Zachar. 6, 13. Job. 33, 24.

§. IV. Benevolentia DEI patris erga homines lapsos duplex est:

α) *universalis* seu generalis, qua is, spectata omnium hominum miseria, non tantum omnium serio vult salutem, sed etiam ad hanc redimendam filium suum dedit mediatorem, & efficacia ordinavit media, ex quibus veram omnes concipiant fidem in redemtorem, ut parta salute æterna potiantur;

β) & *specialis*, qua is, gratuita propter Christi meritum misericordia motus, ex genere humano solos illos ac singulos homines æterna salute donare ac beare constituit, quos finaliter in Christum credituros esse prævidit.

§. V. Voluntate nimirum *antecedente* omnium hominum vult salutem; voluntate vero *consequente* eos ad vitam æternam elegit, quos prævidit usque ad finem vitæ in fide esse perseveraturos. Dicitur autem voluntas antecedens & consequens, non ratione temporis, quasi antecedens consequentem tempore præcedat: neque ex parte ipsius voluntatis divinæ, quasi sint in DEO duæ distinctæ voluntates; sed propter ordinem, quo ratio nostra diversos actus in DEO, pro diversitate objectorum, considerat & unum præ altero perpendit: nam volun-

voluntas *antecedens* fertur in hominem miserum, quatenus miser est; *consequens* in hominem miserum, quatenus aut fidelis est aut incredulus, Matth. 23, 37. I. Tim. 2, 6. Joan. 3, 16. 18. Act. 13, 46. Conf. beati *Hollazii* exam. theol. P. 3. p. 3. sqq.

§. VII. Universalis benevolentia DEI complectitur

α) misericordiam divinam, cupidam salutis omnium mortalium, Ezech. 33, 1. Rom. 11, 32. 1. Tim. 2, 4. Objectiones adversariorum refellit laudatus *Hollazius* lib. cit. p. 10. seqq. Conf. *D. Langii* librum *de gratia DEI universali* peculiarem, ex augustissimi potentissimique *Borussorum Regis FR. WILH.* mandato confectum.

β) liberalem donationem mediatoris Christi 1. Joan. 2, 1. 2. 4, 9. 10. Rom. 5, 8. Joan. 6, 51.

γ) destinationem mediorum salutis, quibus salus per Christum parta & vires credendi omnibus hominibus offeruntur, ut Christi meritum sibi adplicare queant. Act. 17, 31. Ps. 2, 8. 72, 8. Jes. 59, 19. Zach. 9, 10. 2. Pet. 3, 9. Matth. 28, 19. Tit. 2, 11. Vid. meine Rel. Pred. p. 249. sqq.

§. VII. Benevolentia DEI erga miseros peccatores est

α) gratuita, Gal. 2, 16. Eph. 2, 8.

β) liberalis, Rom. 8, 32.

γ) seria & sincera, Rom. 2, 4. conf. summe reverendi *Jo. Gottl. Hillingeri* gradus *decretorum* cap. 1. §. 4. seqq.

δ) efficax, Act. 26, 17. 18.

ε) non absoluta, sed respectiva & justitia temperata, Jo. 3, 16. Conf. *D. Clauswizii* lib. cit. sect. 4. cap. 1. §. 4. pag. 500. seqq.

ζ) ordinata: DEUS enim certum mediorum ordinem constituit, quem respicit in beandis peccatoribus.

η) conditionata, sub conditione fidei.

§. VIII. Hæc de benevolentia & gratia DEI universali doctrina peccatorem fidelem, tentatum, erigit, & de sui electione certiorem reddit. Confer. *Hillingeri* lib. cit. cap. 2. §. 5. *Buddei* theol. mor. part. 1. cap. 2. §. 45. & *Wandalini* exposit. *sacr. theol.* cap. 7. *cas. consc.* 3. 4. 5. pag. 179. De reliquo profliganda est ex ecclesia Christi infausta illa de *termino gratiæ peremtorio* opinio, a *J. G. Boesio* prolata & a *D. Ad. Rechenbergio* aliisque adserta. Nam

α) possibilis est etiam induratorum conversio, 2. Cor. 3, 16. 2. Tim. 2, 25. 26.

β) talis conversionis exempla exhibet scriptura 2. Chron. 33, 12. 19. Luc. 15, 12. sqq. Matth. 27, 44. sq. & Ephes. 4, 17. sqq.

γ) *Terminismus* mox ad desperationem ducit, mox ad securitatem.

Vi-

Videatur *Sebast. Edzardi*, viri olim doctissimi, *Terminismus solatii* expers.

§. IX. Pergo ad benevolentiam DEI specialem, quam etiam *prædestinationem* vocant, quæ *est decretum DEI æternum, quo ex immensa sua gratia, secundum prævisionem fidei in Christum, finaliter credentibus æternam salutem destinavit, eos vero justo judicio in perpetuum damnare constituit, quorum ἀπιστίαν finalem prævidit.*

§. X. Electio sive ἐκλογὴ (Eph. 1, 4. Rom. 8, 33.) alias dicitur *inscriptio in librum vitæ* Dan. 12, 1. Apoc. 13, 8. 21, 27. Luc. 10, 26. Philip. 4, 3. de qua copiose exponunt celeberrimi beatique viri *D. Jo. Conr. Dannhauerus* in *hodosoph.* phæn. 7. pag. 542. & *D. Jo. Wilh. Baierus* in *comp. theol. pos.* p. m. 736. seqq. nimirum *inscriptio in librum vitæ æternæ.* Nam *triplex liber vitæ* DEO in scripturis tribuitur, nempe

a) *vitæ naturalis*, e. g. Exod. 32, 32. sqq.
b) *vitæ spiritualis*, e. g. Psalm. 69, 29.
c) *vitæ æternæ.* Vid. meine Religions-Predigten p. 433. sqq.

Item *custodia in fasciculo viventium* 1. Sam. 25, 29. vide beati *D. Seb. Schmidii* dissert. *de fasciculo viventium.* Ex adverso *repro-*

batio final ter incredulorum dicitur *deletio e libro vitæ* Pſalm. 69, 29. Apoc. 3, 5. vide laudati *Schmidii* diſſ. *de deletione e libro vitæ*, & beati *D. Jo. Meisneri* diſſert. *de libro vitæ*. Finis electionis eſt hominum ſalus ad DEI gloriam procuranda & conſummanda; finis reprobationis eſt peccatorum vindicatio & gloria juſtitiæ divinæ vindicativæ.

§. XI. Forma prædeſtinationis conſiſtit in

α) προθέσει ſeu propoſito, quod eſt voluntas DEI, ut, qui credit in filium DEI, habeat vitam æternam Jo. 6, 40. 3, 18. 2. Tim. 1, 9. Eph. 1, 5. 11. Rom. 8, 28. & condemnetur, qui non credit Marc. 16, 16. Joan. 3, 36.

β) προγνώσει ſive præſcientia individuali, qua ab æterno prævidit ſingulos homines, cum finaliter credituros, tum finaliter incredulos. Prævisio autem, cum ſolius intellectus ſit, non infert neceſſitatem eventuum. Rom. 8, 29. 1. Petr. 1, 2. 2. Tim. 2, 19.

γ) προορισμῷ ſive ipſo prædeſtinationis actu. Lege & perpende dicta Paulina Rom. 8, 28. 29. Eph. 1, 5. 10. & Petrinum 1. Epiſt. 1, 1. 2. Conf. *Hollazii* lib. cit. part. 3 p. 50. qu. 10.

§. XII. Tria hæc momenta conſtituunt ſequentes ſyllogismos, omnem doctrinam egregie explanantes:

Syllo-

Syllogismus electionis:

Quicunque finaliter crediderit, ſaluabitur.

Atqui hic, ille, iſte, e. g. Abrahamus, Samuel, Joannes, &c. finaliter ſunt credituri.

Ergo ſaluabuntur.

Syllogismus reprobationis:

Quicunque in ἀπιστίᾳ finaliter perſeveraverit, damnabitur:

Atqui hic, ille, iſte, e g. Saulus, Judas, Franciſcus Spira, &c. in ἀπιστίᾳ finaliter perſeveraturi ſunt.

Ergo damnabuntur.

§. XIII. Nimirum major horum ſyllogismorum propoſitio continet πρόθεσιν: minorem format πρόγνωσις; concluſio continet προορισμόν. Conf. *Hollazii* loc. cit. part. 3. p. 52. & *Langii* œcon. *ſal. evang.* p. 373. ſeqq. Vid. meine Relig. Pred. pag. 435. ſqq.

§. XIV. Eſt igitur prædeſtinationis decretum non abſolutum, ſed reſpectivum, Eph. 1, 3. ſeqq. Hebr. 5, 8. 9. 11, 6. 2. Theſſ. 2, 13. Jac. 2, 5. Eph. 5, 6. 2. Theſſ. 1, 6. 8. (*) Objectiones adverſariorum refellit

(*) Idque rationis ſanæ principia confirmant. Nam ſi DEI bonitas eſſet particularis, non eſſet boni-

præstantissimus *Hollazius* l. c. qu. 8. p. 33. seqq. Conf. summe venerabilis *D. E. S. Cypriani* Unterricht von kirchlicher Vereinigung der Protestanten, pag. 9. seqq.

§ XV. Adjuncta *electionis* sunt.

α) *Infallibilitas*: qui enim credunt in Christum, modo in fide perseverent, certi esse possunt infallibiliter, se esse electos, 1. Jo. 5, 10. 11. Hebr. 3, 6. 14. 2. Cor. 13, 5. 2. Tim. 4, 7. 8. Fidem justificantem fidelis apud se potest cognoscere Gal. 2, 19. sq. qua nititur promissionibus gratiæ in Christo certissimis ac firmissimis 2. Cor. 1, 20. quæ confirmatur & obsignatur per Spiritum Sanctum Rom. 8, 15. 16. 2. Cor. 1, 22. Eph. 3, 12. Habent igitur fideles certitudinem *hypotheticam*; quæ tamen in ultimo vitæ articulo, ubi fideles norunt conditiones omnes esse impletas, transit in *absolutam*, judice beato *D. Fridem. Bechmanno* p. 714. *theol. polem.* Tentationibus qua via hac in re obviam ire queamus, ostendit *Hillingerus* lib. cit. cap. 7. §. 6. seqq.

β) *im-*

tas perfectissima & infinita: & absoluti decreti adsertores non possunt non προσωποληψίαν in Deo statuere, quæ aperte cum perfectissima DEI justitia pugnat; & præscientia divina non infert necessitatem eventuum. Vid. *D. Sam. Clarckii* dem. exist. DEI p. 139. sqq.

β) *immutabilitas*, & *certitudo*, cum ratione fidei electorum perseverantis Apoc. 2, 10. tum ratione ipsius decreti divini Rom. 11, 28. 29. Matth. 24, 24. Hinc electi non possunt labi *finaliter*, licet labantur ad tempus *totaliter*, uti adparet ex exemplis Aaronis, Davidis & Petri, & aliorum sanctorum.

γ) *particularitas*; quam vel ipsa electionis vox indicat, quæque notanda est contra *Huberianos*. Conf. beati *D. Jo. Andr. Schmidii* dissert. de *Samuelis Huberi* vita, *fatis & doctrina*.

δ) *æternitas*. Matth. 25, 34. 2. Thess. 2, 13. 2. Tim. 1, 9. Vid. *Form. Conc.* declarat. XI. p. 809 sqq. edit. *Rechenbergianæ*, & *b. D. Jo. Musæi* comment. in F. C. p. m. 341. sqq.

§. XVI. Reprobationis quoque decretum non solum particulare est, sed etiam immutabile, immutabilitate hypothetica. Conf. *Baieri* comp. *theol. pos.* part. 3. cap. 12. §. 26. Nam reprobatio non fluit ex absoluto decreto ad malum determinante, neque ex absoluta præteritione; sed conspicimus in ea πρόθεσιν justitiæ de gratiæ contemtoribus, πρόγνωσιν finaliter incredulorum, & ipsum decretum reprobationis finale. De reliquo *reprobationis decretum absolutum*, ab

ab adversariis nostris defensum, sanæ rationi, eminentissimam perfectionem bonitatis & justitiæ divinæ adferenti, manifesto adversatur; id quod pluribus verbis demonstrat clarissimus *J. Th. Canzius* in *usu Philos. Wolff. in theol.* tom. 2. part. 1. qui simul demonstrat, prævisionem ac præscientiam divinam non inferre necessitatem eventuum.

§. XVII. Consideratio prædestinationis hortatur, ut fugiamus curiositatem, errorum scrupulorumque genitricem Rom. 11, 33. ut ordinis salutis habeamus rationem Hebr. 12, 15. ut videamus, an deprehendantur in nobis electorum characteres, qui sunt fides conjuncta cum propositio constantiæ 1. Jo. 5, 10. 13. & sincera obedientia erga DEI voluntatem 1. Jo. 3, 14. 21. 22. ut per fidelem in praxi Christiana progressum firmemus nostram electionem, ita, ut sensus ejusdem ex obsignatione Spiritus Sancti crescat 2. Petr. 1, 10. ut & a desperatione & a securitate nobis caveamus Hebr. 6, 11. 12. 1. Cor. 10, 12. ut denique anxios de nostri electione scrupulos evellamus, Deique in nobis conservandis fidelitatem recte consideremus.

Joann.

Joann. 10, 28. 29. 1. Petr. 5, 10. Conf. S. R. *Jo. Frid. Burgii* Inſtit. *Theol. Thet.* p. m. 555. ſeqq.

LIBER IV.
CAP. II.
DE
CHRISTO REDEMTORE HOMINVM.

Σύνοψις.

JESUS Chriſtus quis? §. 1. 2. eſt verus homo, §. 3. una perſona in duabus naturis, §. 4. ſeqq. unio perſonalis. §. 8. communicatio idiomatum §. 9. ſtatus duplex, §. 10. ſeqq. officium triplex, §. 16. JEſus Nazarenus eſt verus Meſſias, § 23. redemtio per Chriſtum, §. 24. 25. Satisfactio Chriſti non eſt contra rationem, § 26. ſeqq. Uſus doctrinæ, §. 29. ſeq.

§. 1.

JESUS Chriſtus eſt verus DEUS de eſſentia Patris ab æterno genitus, & verus homo ex Maria virgine in plenitudine temporis natus,

tus, unicus totius generis humani in peccatum prolapsi redemtor.

§. II. Redemtor noster vocatur *JEsus*, quia nos salvat a peccato, omnique malo, quod e peccato provenit, Matth. 1, 21. Jes. 12, 3. Luc. 1, 69. Act. 4, 12. Philip. 2, 10. Hebr. 5, 9. Hocque nomen gesserunt *sacerdotum princeps* Josua Zach. 3, 1. sqq. *propheta* Hoseas, & *dux populi Israelitici* Josua. Dicitur etiam *Christus*, quia secundum humanam naturam a Spiritu S. infinita plenitudine unctus est ad officium sacerdotale, propheticum & regium, Joann. 1, 41. Ps. 45, 8. Jes. 61, 1. Joan. 3, 34. 4, 25. Act. 10, 38. sicut olim uncti sunt sacro oleo sacerdotes & præcipue *summi sacerdotes* Exod. 30, 30. Levit. 6, 25. *reges* 1. Sam. 24, 6. 10. 2. Sam. 19, 22. atque, interdum certe, *prophetæ* 1. Reg. 19, 16. 1. Chron. 16, 22. Psalm. 105, 15. conf. ven. *D. I. G. Carpzovii* diss. *de prophetis* §. 18.

§. III. Christus est verus & patri consubstantialis, coæternus & coæqualis, DEUS; id quod supra lib. 2. cap. 2. §. 18. probatum dedi. Idem Christus est etiam verus homo, nobis consubstantialis Hebr. 2, 14. sqq. 8. id quod demonstratur

α) *ex nominibus humanis:* vocatur enim *homo* 1. Tim. 2, 5. Jo. 8, 40. *filius hominis* sæpissime in sacro codice; *semen mulieris* Gen. 3, 15. *semen Abrahæ* Gen. 17, 1. Gal. 3, 16. *germen Davidis* Jer. 33, 5. Jes. 11, 1.

β) *ex partibus hominis essentialibus*, anima Matth. 26, 38. Luc. 23, 46. corpore Jo. 2, 21. Conf. celeb. *Jac. Carpovii* comment. *de stamine humanitatis Christi*, ejusdemque *psychologia sacratissima.*

γ) *ex attributis vero homini propriis* Matth. 4, 2. Joann. 19, 28. Matth, 8, 24. 25, 37. Luc. 19, 41. 24, 39.

δ) *ex operationibus humanis* Luc. 2, 46. 48. 52. Matth. 4, 1. seq. 26, 55.

ε) *ex genealogia Christi hominis* Matth. 1, 1. seqq. Luc. 3, 23. seqq. quam celeb. *D. Jo. Mich. Langius* in peculiari libro explanavit.

ζ) ex voluntate humana, quam Christus præter voluntatem divinam habuit. Matth. 27, 39. Joan. 5, 30. Conf. *b. D. Joach. Weickhmanni* observationem in Matth. 27, 39. in *b. D. Rusii* harm. Evang. tom. 3. p. 904. sqq.

§. IV. Ex his autem colligimus, unam esse *personam* Christi in *duabus naturis* Luc. 1, 35. Rom. 1, 1. 3. 9, 5. Joann. 1, 14. Gal. 4, 4. ex quo consequitur, humanam Christi naturam non habere subsistentiam propriam, sed subsistere subsistentia aliena, nempe

pe divinæ naturæ. Propriam ſubſiſtentiam divina natura amittere nullo modo potuit; alias enim DEUS factus eſſet ſubſtantia incompleta. At humana natura Chriſti nullo tempore propriam habuit ſubſiſtentiam, ideoque nec perſonalitatem: eum enim in finem producta eſt, ut unita cum divina natura totum Chriſtum conſtituat Rom. 9, 5. 1. Tim. 2, 5. Ergo, licet humana Chriſti natura ſit ſubſtantia individualis & intelligens, minime tamen dici poteſt *ſubſtantia completa*, ideoque nec *ſuppoſitum*, nec *perſona*. Unde adparet, JEſum Chriſtum unam eſſe perſonam, 1. Cor. 8, 6. Neque tamen humana natura dici poteſt imperfectior, cum perfectio rei ex *eſſentia* ipſa, non ex *ſubſiſtentia* æſtimetur. Vid. *D. Wideburgii* lib. cit. p. 344. ſqq.

§. V. Quia igitur duæ naturæ ſunt in una Chriſti perſona: & de generatione ejus æterna jam ſupra actum eſt; hoc loco de temporali ejus generatione, per quam homo eſt, exponam neceſſe eſt. Humana autem Chriſti natura originem habet a DEO trinuno,

α) *a DEO patre*, Gal. 4, 4. Rom. 8, 3. qui etiam animam Christi immediate creavit. Vid. celeb. *Carpovii* lib. laudatus.

β) *a Filio DEI*, qui dicitur *virtus altissimi* Luc. 1, 35. cujus *obumbratio* facta est, dum modo imperveltigabili in uterum virginis descendit, & massam sanguinis virgineam a Spiritu S. excitatam peculiari & arcano modo implevit, ut in ea corporaliter, veluti in templo proprio, habitaret. Hinc *terminus adsumtionis* naturæ humanæ (uti *b. D. Conr. Hornejus* loqui solet) soli filio DEI competit. Hebr. 2, 16. Col. 2, 9.

γ) *a Spiritu S.* cui tribuitur per adpropriationem Luc. 1, 35. Cujus ἐπέλευσις fuit 1) *excitativa*, qua sanguinea massa in utero virginis excitata est: 2) *sanctificativa*, qua adhærens peccatum abstersum est: 3) *conjunctiva*, qua λόγος æternus cum massa sanguinea virginis, velut sponsus cum sponsa, indissolubili vinculo conjunctus est. Vid. *b Dav. Hollazii* lib. cit. part. 2. p. 85. Adde ego ἐπέλευσιν 4) *ungentem*, qua Christus secundum humanam naturam unctus est infinita Spiritus Sancti plenitudine Jes. 11, 1. 2. 3. Psalm. 45, 1. 8. Joan. 3, 34. Act. 10, 38. Coloss. 2, 3. 9. Matth. 3, 16. Conf. *b. Jo. Schroederi*, theologi Norici, lib. *de thron. reg. Christi* p. 199.

§. VI. Per hanc conceptionem miraculosam, quæ facta est illo temporis momento,

to, quod Lucas 1, 38. commemorat, Christus accepit naturam nostræ consubstantialem Hebr. 2, 17. *infirmitatibus* naturæ humanæ *communibus*, (e. g. siti, fami, somno, &c.) obnoxiam Hebr. 4, 15. 5, 2. non autem *personalibus*, quales sunt morbi 2. Cor. 5, 21. Hebr. 7, 26. 1. Joan. 3, 5. at prærogativis eximiis insignem, partim quoad corporis pulchritudinem Ps. 45, 3. (videatur beati *D. Jo. Fechtii* comment. *de facie Christi* & celeb. *D. Jo. Braunii* lib. 3. *Selector. Sacror.* p. 327.) partim quoad excellentia dona animæ, sapientiam & sanctitatem; partim quoad corporis ἀθανασίαν, quæ ipsi competebat tum ob naturæ integritatem 2. Cor. 5, 21. 1. Petr. 1, 19. tum ob vinculum unionis personalis indissolubile Ps. 16, 10. Act. 2, 31. 13, 35. quamvis secundum voluntariam œconomiam mortuus sit Salvator Jo. 10, 17. 18.

§. VII. Persona Christi est una, eaque σύνθετος. in qua natura divina filii DEI, cum adsumta humana natura, per *unionem personalem*, arctissime & indivulse conjuncta est, Actor. 4, 12. 1. Cor. 8, 6. 1. Tim. 2, 5. Et manifestum est, hanc doctrinam non involve-

volvere contradictionem: nam profitemur, DEUM factum esse hominem, hominemque esse DEUM per unionem personalem. Vnio duarum naturarum

α) non est *essentialis*, quia utraque natura in essendo est completa:

β) neque *accidentalis*, quia duæ naturæ in Christo non manent distincta *suppositata*, sed potius humana destituitur sua ὑποστάσει;

γ) sed *peculiaris & personalis*, ita, ut humana natura, a divina adsumta, in hujus ὑποστάσει subsistat.

§. VIII. *Vnio personalis* consideratur

α) *quoad actum*, qui dicitur *unitio* duarum in Christo naturarum, sive *incarnatio*, quæ est actio divina, qua filius DEI naturam humanam, in utero virginis Mariæ, in unitatem suæ personæ & communionem naturæ divinæ adsumsit Jo. 1, 14. Rom. 9, 5. Gal. 4, 4. 1. Tim. 3, 16. Hebr. 2, 14. 16. Neque rationis sanæ principiis adversatur, si adfirmamus, fieri potuisse, ut DEUS fieret homo per unionem personalem, sive per unitionem divinæ atque humanæ naturæ: nullam enim gignit contradictionem, duas naturas ad unius totius constitutionem uniri absque ulla utriusque naturæ mutatione intrinseca; neque hæc propositio: *homo est DEUS, ita, ut humana natura juncta sit divinæ per unionem personalem*; ullam implicat contradictionem.

β) *quoad ſtatum*, qui eſt duarum naturarum, divinæ & humanæ, in una filii DEI ὑποστάσει ſubſiſtentium, conjunctio, indiſſolubilem utriusque naturæ communionem inferens. Exſiſtit igitur Chriſtus in duabus naturis, ἀσυγχύτως, *ſine confuſione*, ἀτρέπτως, *inconvertibiliter*, ἀδιαιρέτως, *indiviſe*, ἀχωρίστως, *inſeparabiliter*. Vid. *Hackſpanius* l. c. p. 826. & per mutuam divinæ & humanæ naturæ participationem divina humanam permeat, perficit, inhabitat, ſibique adpropriat Coloſſ. 2, 9. Conf. *Baieri* lib. cit. part. 3, cap. 2. §. 11. 12. 13. & *Wideburgii* lib. cit. p. 354. ſeqq.

§. IX. Ex unione perſonali, & duarum in Chriſto naturarum communione, fluunt

α) *propoſitiones perſonales*, in quibus concretum unius naturæ de concreto alterius naturæ, modo ſingulari & inuſitato, vocabulis ſubjectivis prædicatur. Hæ ſunt reales & veriſſimæ, immo *propriæ* quidem, attamen in rerum natura alias *inuſitatæ*. e. g.

Filius Davidis eſt Dominus Davidis Matth. 22, 42. Pſalm. 110, 1.

Filius hominis eſt filius DEI viventis Matth. 16, 13. 16.

Secundus homo eſt Dominus de cœlo 1. Cor. 15, 47. Conf. *b. D. Wideburgii* ſyſt. *theol. thet.* p. 350. ſq. Primus, qui in N. T. adhibuit propoſitionem perſo-

personalem de Christo, fuit angelus Gabriel Luc. 1, 31. 32. Has propositiones observemus necesse est contra Nestorianos, Socinianos, Zwinglianos, prouti egregie ostendit *b. D. Godofr. Hofmannus* in *Theol. Dogm.* p. 496. sqq.

β) *communicatio idiomatum:* quoniam enim cum humana natura Christi communicata est subsistentia divina, cum ea etiam communicata sunt idiomata divina, cum subsistentia identificata. hujus, pro diversitate *propositionum idiomaticarum*, de Christo in codice sacro occurrentium, tria sunt genera; in quorum primo prædicatum est ἰδίωμα, in secundo ἀξίωμα, in tertio ἀποτέλεσμα: quæ conjunctim latent in memorabili dicto Joan. 1, 14. (Vide beati *D. Wandalini* expos. *sacr. theol.* p. m. 113.) quemadmodum *primum* genus palam desumtum est ex Colos. 2, 9. *secundum* ex Matth. 28, 18. 1. Tim. 3, 16. *tertium* ex Act. 20, 28. 1. Cor. 2, 8. Est igitur

1) *primum genus*, cum de tota persona, sive ab utraque sive ab alterutra natura denominetur, prædicatur aliqua vel divinæ vel humanæ naturæ proprietas, ita, ut idiomata unius naturæ *concreto* alterius naturæ competant. a) Jo. 8, 58. Rom. 5, 8. b) 1. Jo. 1, 7. c) 1. Cor. 2, 9. Græce dicitur ἰδιοποίησις, & κοινωνία τῶν θείων.

2) *Secundum genus*, cum de tota quidem persona, sed secundum solam humanam naturam considerata, prædicatur majestas divina in tempore communicata, Matth. 11, 27. 28, 18. Eph. 4, 10. 1. Cor. 15, 27. Coloss. 2, 3. Jo. 6, 54. Philipp. 2, 9. 10. Luc. 5, 24. 27. Græce dicitur μετάδοσις ἀυχημάτων, ὑπεξαίρεσις.

3) *tertium genus*, cum opera officii mediatorii vel toti personæ, vel utrique naturæ, cum communicatione alterius, quod suum est, agenti adscribuntur, e. g. toti personæ, 1. Jo 3, 8. Luc. 9, 56. divinæ naturæ Actor. 20, 28. humanæ naturæ Coloss 1, 14. Græce dicitur κοινωνία ἀποτελεσμάτων. Conf. *VVandalini* lib. cit. p. 108. seqq. & *Buddei* instit. *theol. dogm.* lib. 4. cap. 2. §. 14. seqq. Totam doctrinam de communicatione idiomatum copiosissime explicat clarissimus *Jac. Carpovius* tom. 2. *syst. theol.* pag. 295. sqq. §. 355. sqq. Videatur quoque *D. VVideburgius* lib. cit. p. 357. sqq. Multa hic spinosa cordatis viris videbuntur.

§. X. Christus communicatam cum carne sua majestatem divinam non semper eodem modo exseruit: inde factum est, ut Christus primum *exinanitus*, deinde *exaltatus*

tatus fuerit Pſalm. 8, 6. 7. Philipp. 2, 5. ſeqq. Egregium typum legimus Gen. 39. 40. 41. conf. celeb. *Langii hiſt. eccleſ. V. T.* pag. 118. ſeqq.

§. XI. *Exinanitio* eſt ille Chriſti θεανθρώπε ſtatus, quo is, ſecundum humanam naturam, communicatæ majeſtatis uſu pleno, inde ab ipſo incarnationis momento usque ad mortem & ſepulturam, vere, libere, & quam ſapientiſſime ſeſe abdicavit, & ea ſuſtinuit, quæ longe ſunt infra divinam majeſtatem, ut a culpa & pœna redimeret homines amiſſamque ſalutem eis repararet. Pſ. 22, 1. ſeqq. Jeſ. 53. Matth. 20, 28. cap. 26. & 27. 2. Cor. 8, 9.

§. XII. Exinanitio Chriſti *formaliter* conſiſtebat, non in nuda majeſtatis divinæ occultatione, Joan. 17, 5. 1. Cor. 1, 7. neque in plena ejusdem evacuatione, quæ profecto ſine ſolutione unionis perſonalis fieri haud potuiſſet; ſed in abdicatione pleni atque inceſſantis uſus divinæ majeſtatis 2. Cor. 8, 9. Marc. 13, 32. Matth. 21, 19. Interea ſæpius uſus eſt communicata divina majeſtate, ut ſpectaretur ejus gloria, e. g. Matth. 4. 10. 11. 8, 24. 25. 26. 14. 15. ſeqq.

21, 19. Joan. 18, 6. 15, 24. 1, 14. Vid. m. Rel. Pred. p. 297. sq. Nunquam sese Christus abdicavit usu omniscientiæ, omnipræsentiæ, & collectionis ecclesiæ: *illud* b. D. Jo. Frid. Mayerus in pecul. *dissert.* evicit: *istud* elucet ex Joan. 3, 13. *hoc* ex Luc. 23, 40. sqq. quippe quæ fini status exinanitionis Christi non adversabantur.

§. XIII. Gradus status exinanitionis Christi sunt

α) *conceptio*, non præcise in se spectata, sed propter concurrentes nonnullas infirmitates considerata: illa enim hic intelligitur exinanitio, quæ per exaltationem est sublata; incarnationis vero status permanet. Vide *Baieri* lib. cit. p. 483. & m. Rel. Pred. p. 295. sq.

β) *circumcisio*, Luc. 2, 7.

γ) *circumcisio*, Luc. 2, 21. coll. Matth. 12, 8. Marc. 2, 28.

δ) *educatio* humilis, Luc. 2, 48. 51. Matth. 13, 55.

ε) *visibilis* inter homines *conversatio*, Philipp. 2, 7. Luc. 15, 2. Matth. 11, 5. 21, 46.

ζ) *perpessiones ultimæ*, Ps. 22, 7. 40, 13. Jes. 53, 4. Hebr. 13, 12. Conf. celeb. *D. Jo. Jac. Rambachii* Betrachtung über das Leiden Christi & S. R. *D. Chr. Aug. Heumanni* diss. *de passione Christi majestatica.* Perpes-

sus

sus est Jesus æternos cruciatus, non *extensive* sed *intensive*, non ratione temporis sed valoris.

α) *mors* ignominiosa & piacularis Act. 10, 39. Matth. 12, 40. 17, 23. 20, 18. Luc. 18, 31. Vid. meine Rel. Pred. p. 307. sqq.

β) *sepultura*, Jes. 53, 9. Matth. 27, 57. seqq. Act. 13, 29. Conf. beati *D. Jo. Wolfg. Jægeri* comp. *theol. fœder.* in loc. de Christo, pag. 419. sqq. De reliquo honorifica sepultura jam aliquam ad statum exaltationis dispositionem habuit.

§. XIV. *Exaltatio* est ille Christi θεανθρώπου status, quo is, secundum humanam naturam, peracto redemtionis opere, depositis carnis infirmitatibus, ad pleniſſimum communicatæ divinæ majestatis usum, per diversos gradus, eum in finem evectus est, ut nos salutis a se partæ participes redderet.

§. XV. Gradus exaltationis sunt sequentes:

α) *Resuscitatio* & vivificatio, Jo. 2, 19. seqq. 10, 18. Rom. 6, 4. 4, 24. 25. Act. 2, 20. Vid. meine Relig. Pred. p. 298. sq.

β) *Descensus ad inferos*, ut & per καταβασιν & & per ἀνάβασιν, peracta actione, ut quidam volunt, cum sacerdotali, tum bellica, (Gen. 3, 15. Luc. 11, 12. Jo. 14, 30. Matth. 4, 11. 1. Jo.

 3, 8.)

3, 8.) monstraret se esse victorem hostium Ephes. 4, 9. 10. Conf. beati *D. Jo. Musæi* prælect. *in form. conc.* p. 309. beati D. *Frid. Bechmanni* adnot. *in comp. Hutteri* p. 212. seq. summe reverendi *Jo. Georgii VVeberi* doctrin. tutior. *de descensu Christi ad inferos* & b. D. *Men. Hannekenii* explicat. *epist. Pauli ad Ephesios* p. 52. nec non summe reverendi *D. Jo. Georg. VValchii* introd. *in libr. eccl. Luth. symb.* p. 100. sqq. itemque summe reverendi *D. Jo. Reinh. Rusii* præfat. tomo 2. *harm. evang.* præmissam. *D. Jægerus* l. c. p. 424. *reliqua*, inquit, *quæ de descensu hoc quæri possent, pertinent ad patriam cœlestem.* Addatur clarissimi *Jo. Aug. Dietelmaieri* historia *litteraria doctr. de desc. Chr. ad inferos.*

γ) *Resurrectio* & vivificationis manifestatio, Marc. 16, 6. Act. 1, 3. 4. 13. seqq. 5, 22. sqq. 34. seqq. 13, 30. 31. 1. Cor. 15, 6. Vid. meine Rel. Pred. p. 299. sqq.

δ) *Adscensio* in cœlum gloriæ, Ps. 68, 18. 19. coll. Eph. 4, 8. Act. 1, 9. 3, 25. Jo. 20, 17. 14, 2. 3. 12. 28. Marc. 16, 14.

ε) *Collocatio & sessio ad dextram DEI*, Ps. 110, 1. coll. Matth. 22, 41. seqq. & Act. 2, 34. Hebr. 1, 3. 7, 25. 1. Cor. 15, 25. Rom. 8, 34. Eph. 4, 8. seqq. Joan. 14, 2. 16, 7. 13. 14. Conf. summe ieverendi *Jo. Lud. Lindhammeri* comment. in *act. apost.* p. 20. seqq. 116. seqq. Hac ipsam humanam naturam ad plenam

nam & infinitam majestatem & gloriam evectam esse, demonstrabit

ζ) *Reditus ad extremum judicium*, Matth. 25, 35. seqq. conf. Hebr. 1, 8. 2. Petr. 1, 11. & 1. Cor. 15, 24. seq. adde summe reverendi *Jo. Christoph. VVolffii* cur. crit. in *IV. priores Pauli epist.* p. 533. & clarissimi *Ad. Frider. Meyeri* lib. cit. p. 153. seq.

§. XVI. *Officium Christi* in se quidem tantum *unum* est, dicique solet *mediatorium* inter DEUM & homines 2. Cor. 5, 19. 1. Tim. 2, 5. at pro diversitate respectuum ipsarumque functionum distinguitur in *sacerdotale*, *propheticum* & *regium*. Bona, quæ Christus officio *sacerdotali* adquisivit, *prophetico* adnuntiat & offert; *regio* vero donat, &, ex primitiis ad plenam messem nos introducendo, consummat.

§. XVII. *Officium* Christi *sacerdotale* est, quo is, mediator & sacerdos novi fœderis unicus, exactissima legis impletione, & corporis sui sacrificio, nostri caussa læsæ justitiæ divinæ *satisfecit*, & efficacissimas, generatim pro omnibus hominibus, speciatim pro electis, preces DEO offert, cujus *intercessionis* effectus est *benedictio* sive omnium bonorum spiritualium donatio.

§. XVIII.

§. XVIII. Hoc officium cum sit functio antitypica, notandus est

α) expiationis seu *satisfactionis*

1) *typus*, Levit. 1, 16. 17.

2) *antitypus*, Hebr. 3, 7. 9. 10. Christi autem sacrificium virtutem expiatricem infinitam habuit Hebr. 9, 12. seqq. 10, 14. nec nisi semel peragi debuit, Hebr. 7, 27. qui semeipsum sacrificavit, seque obtulit victimam pro peccatis, non suis, sed aliorum, & totius quidem generis humani, Eph. 5, 2. Hebr. 9, 12. 14. Et ad ejus satisfactionem pertinet etiam perfectissima totius legis divinæ, pro nobis facta, impletio, Matth. 5, 17. Præstitit igitur satisfactionem

a) *obedientia activa*, qua legem divinam perfectissime pro nobis implevit, Ps. 40, 8. 9. Rom. 10, 4. Gal. 6, 4. 5. &

b) *obedientia passiva:* qua totius mundi peccata in se transtulit & pœnas iis debitas ultro luit, Jes. 53, 4. 1. Petr. 2, 24. 3, 18.

β) *intercessionis*

1) *typus*, Levit. 16, 12. 13. conf. Exod. 28, 30. 35. 1. Reg. 8, 30. seqq.

2) *antitypus*, Jes. 53, 12. Joan. 14, 16. 17. 11. seqq. Rom. 8, 34. 1. Joan. 2, 2. Intercessionem Christus pro omnibus præstat, sed ita, ut pro impiis orans

con-

conversionem eorum curet, Luc. 23, 34. pro piis vero eorum augeat constantiam, Joan. 17, 11. In statu exaltationis, sicut sacrificium olim peractum DEO exhibet, Hebr. 7, 24. 25. Ps. 110, 4. ita hodienum intercessionem peragit, non in forma humili, sed statui huic convenienter, Rom. 8, 34. 1. Joan. 2, 1.

γ) *benedictionis*

1) *typus*, Num. 6, 24. seq. Levit. 9, 23. 2. Chron. 24, 13.

2) *antitypus*, Eph. 1, 3. 4, 8.

§. XIX. *Officium* Christi *propheticum* est, quo is, missione sui per θαυματουργίαν & triplex patris testimonium comprobata, cum veram legis sententiam exposuit, tum voluntatem DEI de salute hominum verbo evangelii clarissime revelavit, ut omnibus pateret via ad salutem consequendam, Jes. 35, 5. coll. Matth. 11, 2. seqq. Matth. 3, 17. 17, 5. Joan. 12, 28. Matth. 5, cap. 6. & 11, 28. seqq. 18, 11.

§. XX. Cum etiam hoc officium sit functio antitypica, notandus ejus est

α) *typus* in prophetis V. T. præcipue in *Mose* Deut. 18, 15. 18. 19. coll. Act. 3, 22. seqq. Joan. 6, 14. conf. celeb. *D. Carpzovii* differt. *de eccl. Jud. prophetis*, & libellum meum

de

de JESU Nazareno vero Messia p. 32. sqq. edit. secundæ.

β) *antitypus.* Christus officio prophetico in diebus carnis suæ immediate functus est, postea vero mediate per apostolos & discipulos suos, Matth. 18, 20. Luc. 24, 46. 48. Eph. 4, 11. 12. hodie eo fungitur mediate per fideles ecclesiæ ministros.

§. XXI. *Officium* Christi *regium* est, quo is, cum omnium, quæ in cœlo & terra sunt, dominus, tum in primis ecclesiæ rex & caput constitutus, in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ, omnia summa cum majestate ita gubernat, ut serviant gloriæ ipsius electorumque saluti.

§. XXII. Cum etiam hoc officium sit functio antitypica, notandus ejus est

α) *typus*, præcipue, Melchisedecus Gen. 14, 18. seqq. Hebr. 7, 1. seqq. David & Salomo Ezech. 34, 23. 24. Jes. 9, 6. 7. 2. Sam. 7, 12. Conf. *D. Langii* hist. *eccl. V. T.* p. 453. seqq. 538. seqq. & librum meum cit. p. 77. seqq.

β) *antitypus.* Christi regnum est triplex,

1) *regnum potentiæ* est, quo huic universo potenter dominatur, idque conservat, & sapientissime gubernat, Dan. 7, 14. Ps. 8, 7. seqq. Ephes. 1, 20. seqq. Joan. 2, 9. Matth. 8, 26. 30. Luc. 7, 11. 10, 17.

2) re-

2) *regnum gratiæ* est, quo ecclesiam militantem per verbum & sacramenta colligit, conservat, & bonis spiritualibus largissime donat, Ps. 2, 6. coll. Eph. 1, 22. 23. Zach. 9, 9. Jo. 18, 36. 37. coll. 2. Cor. 10, 4. 1. Cor. 12, 4. seqq. Rom. 12, 3. seqq. Eph. 4, 7. 11. Joan. 10, 11.

2) *regnum gloriæ* est, quo ecclesiam triumphantem glorioſe regit atque æterna felicitate replet, Joan. 17, 24. Matth. 25, 34. Luc. 22, 29. 30. 2. Tim. 4, 18.

§. XXIII. JESUM Nazarenum verum esse Messiam, probamus ex eo,

α) quod Messias debuit nasci ex virgine, Gen. 3, 15. Jes. 7, 14. coll. Matth. 1, 18. sqq. Luc. 1, 26.

β) quod Messias debuit nasci ex familia Davidis, 2. Sam. 7, 4. 12. seqq. Jes. 9, 7. 11, 1. Jerem. 33, 15. 16. coll. Matth. 1, 6. 15. 16. Hebr. 7, 14.

γ) quod Messias debuit nasci republica Judaica ad interitum inclinante, Gen. 49, 10. Dan. 9, 24. seqq. Luc. 2, 1. seqq.

δ) quod Messias debuit nasci Bethlehemi, Mich. 5, 1. 2. coll. Matth. 2, 4. seqq. Luc. 2, 4. 5. 6.

ε) quod Messias secundum humanam naturam debuit ungi infinitis Spiritus S. donis, Psalm 45, 8

45, 8. Jes. 11, 2. coll. Act. 10, 38. 39. Hebr. 1, 8. 9.

ζ) quod temporibus Messiæ baptismus debuit esse usitatus, Ps. 29, 10. Ezech. 36, 25. seqq. Zach. 13, 1. coll. Jo. 1, 19. seqq. 3, 22. 4, 2. conf. *epistola*, *D. Hannekenii* commentario in epist. ad Ephesios a me subjuncta.

η) quod Messias debuit docere in templo secundo, Hagg. 2, 7. seqq. Malach. 3, 1. coll. Luc. 2, 22. seqq. 46. 47. 19, 45. 47.

θ) quod Messiæ doctrina etiam inter gentiles debuit propagari, Ps. 2, 8. Jes. 49, 6. 60, 1. seqq. Gen. 9, 27. conf. Act. 8, 27. seqq. 10, 1. seqq. Matth. 28, 19.

ι) quod Messias nasci debuit universo terrarum orbe pacato Jes. 2, 2. 3. 4. Psalm. 72, 7. conf. Suetonii *August.* cap. 22. & Luc. 2, 1. seqq.

κ) quod Messias debuit perpeti supplicium crucis, Deut. 28, 66. Ps. 22, 17. Jes. 53, 5. coll. Matth. 27, 35. Act. 10, 39.

λ) quod statum exinanitionis Messiæ sequi debuit status exaltationis Psalm. 8, 6. 7. 110, v. ult. coll. Philipp. 2, 5. seqq.

μ) quod reliqui omnes veri Messiæ characteres in JESU Nazareno inveniuntur. Conf. libellus meus: Beweiß, daß JEsus von Nazareth der wahre Meßias sey; cum præfatione celeberrimi *D. Jo. Dav. Baieri* editus.

§. XXIV. *Redemtio* a Christo consummata est *liberatio* hominum a pernicie, & omni-

omnium bonorum *adquisitio*. Homines enim liberavit a peccatorum culpa, pœna & dominatione 1. Jo. 3, 5. 2, 2. Jes. 53, 5. 1. Petr. 2, 24. 1. Cor. 1, 30. a maledictione legis Gal. 3, 13. ab ira DEI Rom. 5, 9. 1. Thess. 1, 10. a morte temporali, ita, ut morti fidelium nihil pœnæ insit 2. Tim. 1, 10. Prov. 14, 32. Phil. 1, 23. ab æterna damnatione Hebr. 2, 4. Joan. 3, 18. Hos. 13, 14. Conf. celeb. *Vlr. Huberi* lib. 1. sect. 4. cap. 7. *de jure civitatis*, ubi doctrina de redemtione per Christum ex jurisprudentia illustratur. Adquisivit autem hominibus justitiam Eph. 2, 14. seqq. 2. Cor. 5, 21. reconciliationem DEI Rom. 5, 1. 10. 11. & vitam æternam, Rom. 6, 23.

§. XXV. *Redemtionis* per Christum judicialis, pretiosissimæ & satisfactoriæ, *objectum* est universum genus humanum, Joan. 3, 16. 17. 1. Joan. 2, 2. Jes. 53, 6. Rom. 5, 18. 8, 32. 1. Cor. 8, 11. Hebr. 2, 9. 10, 19. 1. Tim. 2, 3. seqq. 2. Petr. 2, 1. Act. 7, 51. 13, 46. 17, 30. 31. Hæc vero redemtio spectatur vel ratione meriti & adquisitionis, vel ratione adplicationis 1. Tim. 4, 10. Hebr. 5, 9. Conf. *Hollazii* lib. cit. p. 176. seq. Qua ratione

tione filius DEI sibi ipsi satisfacere potuerit, explicat cel. *Moses Amyraldus* in dissert. *de œconomia trium personarum in operibus divinis*, a *D. Langio* iterum edita, §. 25. 26. Satisfactio Christi ejusque *meritum* sunt quidem conjuncta inseparabiliter, diversis tamen respectibus differunt: nam *satisfactio* antecedit, *meritum* consequitur Matth. 20, 28. 1. Tim. 2, 6. 1. Petr. 1, 18. Vide beati *D. Justi Feuerbornii* syntagm. *dissert. I. part. 3. diss.* 8. & beati *Hollazii* lib. cit. part. 3. p. 166.

§. XXVI. Monstrat igitur divina revelatio mediatorem inter DEUM & homines, qualem supra in *apodixi Theol. Nat. pædag.* part. 2. cap. 1. §. 8. requisivimus. Ad satisfactionem pœnalem vicariam requiritur,

α) ut in debitoris locum alius surrogetur & in hunc alienum crimen transferatur:

β) ut surrogatus vas sive sponsor loco debitoris pœnas persolvat:

γ) ut illa pœnæ persolutio cedat in absolutionem debitoris.

Hæc dum sana ratio perpendit, simulque satisfactionem Christi pro universo humano genere ex dictis apostolicis 2. Cor. 5, 21. 1. Petr. 2, 24. Rom. 5, 10. considerat; nihil

hil profecto invenit, quod sanis ipsius principiis repugnet. Id quod copiosius paullo comprobavi im Beweiß, daß die heilige Schrifft GOttes Wort sey, cap. 6. §. 4. seqq. Conf. *Hermanni Witsii*, celeberrimi viri, *œcon. fœd. DEI* lib. 2. cap. 5. §. 4. seqq.

§. XXVII. Dignum DEO patre fuit, sponsionem hanc filii sui tum procurare tum acceptare: cum DEO nihil dignius dici queat, quam gloriam divinarum perfectionum modo glorioſissimo patefacere; splendent autem in satisfactione Christi

α) *divina veritas*. Sic enim completum est, quod DEUS peccato minatus est Gen. 2, 17. Rom. 5, 12. Deut. 27, 26. Gal. 3, 10. & quod promisit in salutem hominum Gen. 3, 15. Jes. 53, 1. seqq.

β) *justitia divina*, quæ non potuit non infinitam postulare satisfactionem. Conf. celeberrimi *Ulrici Huberi* lib. 1. sect. 4. cap. 6. *de jure civitatis*, pag. 142. seqq. editionis *Thomasianæ*, & celeb. *Theodori de Blanc* Erweis der Genugthuung Christi p. 280. seqq. cum præsertim etiam divina *sapientia* necessario postulet satisfactionem, quæ rerum convenientiæ curam utique gerit & benignitatem decenter utiliterque administrat: sicuti majestas divina perfectam satisfactio-

nem non minus requirit. Conf. cel. *Canzii* lib. cit. tom. 1. p. 348. sqq.

γ) *sanctitas divina*, quæ non admittit hominem ad beatam sui communionem, nisi justificatum sanguine Christi.

δ) *bonitas & gratia divina*, quæ miserum peccatorem dato & admisso λύτρῳ sibi reconciliat.

ε) *omnisufficientia Dei*, qui, quod videbatur incredibile, sine ulla perfectionum suarum imminutione, peccatorum factus est salvator. Conf. laudati *Witsii* lib. cit. & laudata supra *Stromeyeri* dissertatio pag. 11. 12. §. 11. & pag. 27. seqq. §. 16. seqq.

§. XXVIII. Christus etiam sine ulla injuria talem sponsionem in se potuit suscipere,

α) quia ipse vitæ suæ dominus est, quam pro suo in illam jure oppignorare potest, Joan. 10, 18.

β) quia id, quod spondet, præstare potest, ferendo pœnam condignam, implendo omnem justitiam, & tantæ dignitatis obedientiam præstando, ut obedientiæ omnium plus quam æquivalens sit.

γ) quia hoc pacto eximiam plane & incomprehensibilem caritatem, tam erga DEI gloriam, quam erga salutem hominum, demonstravit.

δ) quia humana natura, hypostatice cum divina persona unita, post maximos quidem, sed bre-

brevis temporis, dolores ad plenum majestatis divinæ usum evecta ast. Conf. *Witsii* lib. cit. & summe reverendi *Clauswizii* lib. cit. p. 822. seqq.

§. XXIX. Fiduciam itaque nostram in solo Christi merito collocemus Hebr. 2, 11. 17. 18. 4, 15. eumque sincera pietate colamus Hebr. 12, 24. 25. Psalm. 2, 11. 12. cum gloria ejus, etiam secundum humanam naturam, cum adoratione sit agnoscenda Rom. 14, 11. Philip. 2, 10. 11. Apoc. 5, 12. seqq. studeamus imitari JESUM ejusque sequi vestigia, 1. Petr. 2, 21. certissimam credamus animæ & corporis gloriam, cum caput ad gloriam evectum corpus & membra sua non sit deserturum, Jo. 17, 22. 24. Eph. 1, 22. 23. 2. Tim. 4, 8. agnoscamus religionis Christianæ divinitatem, & perpendamus cum dignitatem tum officia Christianorum. Conf. beati *D. Buddei* diss. *de origine, dignitate & usu nominis Christiani.*

§. XXX. Laudemus & veneremur φιλανθρωπίαν Christi summam Matth. 18, 11. Luc. 19, 10. præstemus Christo, summo regi, homagium Ps. 2, 11. perpendamus eximiam nostram dignitatem Joan. 1, 12. 13. 14. 2. Petr. 1, 4. fugiamus mundi delicias Genes. 5, 24.

omnem benedictionem, omnem felicitatem in Christi merito quæramus Act. 4, 12. Phil. 3, 7. 8. 9. 1. Tim. 1, 1. 15. 16. & Christo redemtori & verbis & re ipsa agamus gratias, 1. Cor. 16, 22. Conf. beati *D. Maji* theol. mor. cap. 7. pag. 57. seqq.

LIBER IV.

CAP. III.

DE OPERATIONE SPIRITVS S. SALVTEM OFFERENTE ET CONFERENTE, SIVE DE GRATIA ADPLICATRICE.

Σύνοψις.

Gratiæ adplicatricis definitio, §. 1. *ejus distinctiones*, § 2 3. *actuum ejus ordo*, §. 4. 5. 6. *ea est resistibilis*, §. 7. *rationi ea non adversatur*, §. 8. 9. *usus doctrinæ*, §. 10.

§. I.

Gratia *Spiritus S. adplicatrix* est principium illorum actuum divinorum, quibus Spiritus S. per verbum DEI & sacramenta, bene-

beneficia ſpiritualia & æterna, benigniſſima DEI patris benevolentia humano generi deſtinata, & fraterna JESU Chriſti redemtione adquiſita, diſpenſat, nobisque offert, confert & obſignat.

§. II. Gratia Spiritus S. adplicatrix vulgo diſtinguitur in

α) *gratiam prævenientem*, qua Spiritus S. cor hominis ſecure viventis compungit, objectum ſalvificum per verbum adnuntiatum aut lectum offert, pias cogitationes ſanctumque rerum bonarum deſiderium excitat. Vid. Act. 24, 25. ſeqq. Notione generali etiam huc referuntur inſtinctus naturæ & dictamen conſcientiæ. Vid. *Fechtii* lib. *de ordine modoque gratiæ divinæ*, aph. 6. & 7.

β) *gratiam præparantem*, qua φρονήματα τῆς σαρκὸς deteguntur, notitia mens imbuitur, pertinacia ſuperatur, cunctatio impeditur, & propoſitum gratiam convertentem & regenerantem admittendi producitur; qua de re beatus *D. Jo. Fechtius* præparantem gratiam in *illuminatione* conſiſtere cenſuit, in *aphoriſmis de ordine modoque gratiæ divinæ* pag. 23. ſeqq. Vid. Actor. 2, 37. 38.

γ) *gratiam operantem*, qua & *converſio* ſtrictiſſime ſic dicta & *regeneratio* perficitur. Vid. Philipp. 2, 13.

δ) *gratiam cooperantem*, qua cum homine juſtificato concurrit ad ejus *ſanctificationem*

& productionem bonorum operum. Vid. Act. 9, 36.

*) *gratiam conservantem*, qua fides vitæque sanctitas cum conservatur tum confirmatur, cujusque effectus est fidelium perseverantia. vid. 2. Tim. 1, 12. Phil. 1, 6. 1. Thess. 3, 13. conf. venerandi *J. G. Hillingeri gradus gratiæ*, & beati *D. Joach. Just. Breithaupti* thes. credend. p. 128. nec non reverendi *Jo. Christiani Langbeinii* mannichfaltige geistliche Weißheit und Verstand, part. 1. cap. 3. pag. 36. seqq.

§) *gratiam glorificantem* Rom. 8, 30.

§. III. Distinguitur item a Theologis in

*) *gratiam adsistentem*, quæ prævenientem, præparantem, & operantem gratiam complectitur:

*) *gratiam inhabitantem*, quæ distinguitur in

1) *adjuvantem*, quæ una cum homine, novis viribus diuinitus instructo, ad exercitium bonorum operum, DEO placentium, concurrit; &

2) *perficientem*, quæ hominem in statu gratiæ constitutum ad extremum gloriæ fastigium deducit.

Fundamentum hujus distinctionis latet in verbis Servatoris Apoc. 3, 20. Conf. *Fechtius*, l. c. pag. 34. sqq. aphor. 130.

§. IV. Actus autem *gratiæ adplicatricis* hoc *ordine* cohærent & se subsequuntur:

*) vo-

α) vocatio:
β) illuminatio:
γ) converſio:
δ) regeneratio:
ε) juſtificatio:
ζ) renovatio ſive ſanctificatio:
η) conſervatio fidei & ſanctitatis:
ϑ) glorificatio. Vid. meine Relig. Pred. pag. 335. ſqq.

§. V. Commemoratum *ordinem ſalutis* laudatus ſæpius *Hollazius* ex Act. 26, 16. 17. 18. demonſtrat, ubi Chriſtus Paulum compellans his utitur verbis: *in gentes te mitto* (en vocationem!) *ut aperias oculos eorum* (en illuminationem!) *& convertantur a tenebris ad lucem* (en converſionem!) *& a poteſtate Satanæ ad DEUM* (en regenerationem!) *ut accipiant remiſſionem peccatorum* (en juſtificationem!) *& hereditatem cum iis, qui juſtificati ſunt per fidem in me* (en renovationem, conſervationem & glorificationem!) Conf. ſumme reverendi D. *Jeſ. Frid. Weiſſenbornii* diſſert. *de gratia Spiritus S. adplicatrice.*

§. VI. Idem *ordo* commode deduci poteſt ex verbis Pauli Rom. 8, 28. 29. 30. Id quod bene oſtendit beatus *D. Franc. Jul.*

Lütkenius in *colleg. Biblic.* pag. 623. seq. §. 8. (Conf. beati *Balthasaris Cellarii* dissert. *de aurea salutis catena.)* Idem denique *ordo salutis* luculenter adparet

α) ex dicto Paulino Philipp. 1, 3--13. ubi apostolus Deo pro gratia justificante Philippensibus exhibita gratias agit, gratiam DEI sanctificantem illis ab eo expetit, & gratiam conservantem exspectat atque sperat.

β) ex Coloss. 1, 4--15. Vid. meine Relig. Pred. part. 3. orat. 1. p. 342.

γ) ex Rom. 10, 8. 9. 10. 11. Vid. *b. D. Jo. Mich. Langii* dissert. in h. l.

δ) ex aliis dictis, quæ adduxi in *Theol. mea Harmonica.* p. 33. sqq.

ε) in primis ex dicto Christi Joan. 16, 9. 10. 11. Conf. *observatio exegetica b. D. Zeltneri* in h. l.

§. VII. Gratiæ vero & resisti posse & resisti solere, manifestum est

α) ex hominis natura, ad cujus essentiam pertinet libertas arbitrii:

β) e disertis scripturæ dictis, Jes. 65, 2. Jerem. 64, 16. Matth. 23, 37. Luc. 8, 30. Act. 7, 51.

γ) ex dehortatione ab obduratione voluntaria, Psalm. 95, 8. coll. Hebr. 3, 7. 8. 12. sqq.

δ) ex justitia pœnæ divinæ, Hebr. 2, 1. seqq. 2. Thessal. 1, 6. Gratiæ autem prævenienti ita resistere nemo potest, ut haud pulset pun-

pungatque pectus humanum; licet homo ejus effectum impedire queat.

§. VIII. Quæ de gratia adplicatrice traduntur, non adversantur sanæ rationi. Si enim satisfactio nobis ad salutem prodesse debet, fide a nobis accipiatur nobisque adplicetur necesse est; quod ut fiat, Spiritus S. nos præparat aptosque reddit: quæ enim *de fide* quadam *naturali* tradere ausus est *Petrus Poiretus* (*), figmenta sunt ac mendacia. Fides vero a Spiritu S. accensa, aucta & confirmata, non gignit securitatem carnalem, sed potius vera ex ea fluit pietas. Quod si igitur homo per fidem in communione cum DEO permanet & ad vitæ finem usque perseverat, æternæ fit particeps beatitudinis.

§. IX. Cum in intellectu hominis naturalis sint tenebræ, illuminatione divina eidem opus est: cumque in voluntate mors sit spiritualis, nova ei vita opus est: cum denique in inferioribus animæ facultatibus ingens sit ἀταξία, ad imaginis divinæ restaurationem renovatione quotidiana opus est. Nulla creaturarum homini mortuo naturalem

(*) Vid. *b. D. Buddei* dissert. *de fide, quam nonnulli fingunt, naturali.*

lem reddere potest vitam; multo minus spiritualiter mortuum vita donare potest spirituali, & ad spiritualem cum DEO communionem perducere. Divina, divina inquam, virtute hic opus est ac divina potentia: ne mors sequatur æterna.

§. X. Agnoscamus igitur pia mente œconomiam operum sacrosanctæ Trinitatis in salutis nostræ negotio 1. Jo. 5, 7. admittamus *ministerium Spiritus* 2. Cor. 3, 6. 8. Luc. 7, 30. & sentientes naturalem nostram impotentiam, cui gratia Spiritus medicinalis medetur, salutaribus hujus operationibus lubenti animo locum relinquamus.



LIBER

LIBER V.
DE
ORDINE SALVTIS.

CAP. I.
DE VOCATIONE.

Σύνοψις.

Vocatio quid? §. 1. quotuplex? §. 2. ejus medium, §. 3. cauſſa efficiens, §. 4. ſubjectum, §. 5. forma, §. 6 7. finis §. 8. uſus hujus doctrinæ, §. 9.

§. I.

Vocatio eſt actus gratiæ adplicatricis, quo DEUS omnes homines ad eccleſiam efficaciſſime vocat, & beneficia per Chriſtum parta iis offert, ut convertantur & in perpetuum ſalventur.

§. II. Vocatio eſt

α) vel ordinaria;

β) vel extraordinaria: quæ eſt

1) vel *immediata*, ſicut Gen. 12, 1.

2) vel *mediata*, quæ fit vel per miracu-

la,

la, ſicut Matth. 2, 1. ſeqq. vel per homines extra ordinem miſſos, ut 2. Reg. 5, 7. ſqq. Jon. 1, 2. 3, 2.

§. III. Medium vocationis eſt verbum DEI, ſive adnuntiatum ſit ſive lectum aut legibile: quam maxime *evangelium* Matth. 11, 28. 2. Theſſal. 2, 14. Rom. 1, 16. 10, 15. ſqq. ſubſerviente tamen *lege*, quæ ad Chriſtum ducit, ſicut morbus compellit ad medicum Galat. 3, 24. coll. Joan. 16, 8. ſeqq. Certo reſpectu huc pertinent *media pædagogica*, quæ ſunt

α) lumen naturæ cum beneficiis regni naturæ, Rom. 1, 20. ſeqq. Rom. 9, 24. Act. 17, 25 ſeqq. Conf. celeb. *Hillingeri gradus decretorum* cap. 4. §. 4. §. 6. pag. 47. ſeqq.

β) judicia divina, Gen. 42, 21. ſeqq. Deut. 30, 1. ſeqq.

γ) exempla aliorum, 1. Petr. 3, 1. 2.

δ) inſtinctus naturæ, hominem de turpitudine errorum factorumque ſuorum admonentes, eumque ad quærendam veriorem DEUM colendi rationem ſollicitantes.

§. IV. Cauſſa vocationis efficiens principalis eſt DEUS trinunus, *pater* 1. Cor. 1, 9. *filius* Rom. 1, 6. & *Spiritus Sanctus*, cui κατ' ἰδιοποίησιν tribuitur Matth. 10, 20. 1. Petr. 1, 12. Cauſſa impulſiva interna eſt miſericordia

dia DEI, externa meritum Christi 2. Tim. 1, 9. Miseria humana non quidem caussaliter DEUM impellit, ipsi tamen misereſcendi occasionem præbet Ezech. 16, 5. 6. Caussa ministerialis ordinaria sunt præcones verbi divini Rom. 10, 18.

§. V. Subjectum vocationis sunt omnes omnino homines. Id quod probamus

α) e gratia DEI universali, supra demonstrata.

β) e merito Christi universali, supra comprobato.

γ) e clarissimis codicis sacri dictis Ps. 50, 1. Jes. 45, 22. Ezech. 33, 11. Matth. 28, 29. Marc. 16, 15. Rom. 10, 15. seqq. 1. Tim. 2, 4. Conf. beati *D. Abr. Calovii* apodixis articulorum fidei pag. 251. seqq.

δ) ex ipsa historia, teste veritatis. Nam

1) prima vocatio universalis facta est in Adamo & per Adamum:

2) altera facta est in Noacho & per Noachum: & quamvis mox post diluvium invaluerit idololatria, cujus originem ostendit celeb. *D. Langius* in *hist. eccles. V. T.* pag. 48. seqq. superfuit tamen inter omnes gentes doctrina purior ex revelatione divina; id quod idem demonstrat lib. cit. pag. 46. 47. adde ejusdem librum *de gratia DEI universali* pag. 164. seqq.

3) quæ

3) quæ temporibus Mosis, Josuæ & Judicum populi Israelitici, in gente Judaica summus DEVS fecit, remotissimis etiam gentibus innotuerunt: partim quia Palæstinæ situs iis divulgandis fuit commodissimus, partim quia per Phœnicum commercia divulgata sunt, partim quia per gentilium philosophos, qui Hebræos crebro adierunt, propagata sunt. Conf. beati *Godofredi Vockerodti* differt. *de notitia sacrarum scripturarum apud gentiles*, in qua & origenes istius notitiæ, & documenta lectæ a gentilibus scripturæ sacræ, quam clarissime ob oculos constituit: simulque demonstrat, abfuisse ab antiquis Judæorum moribus, honeste petentibus legis copiam denegare.

4) Postea longe lateque diffusa est Judaicorum librorum fama, partim per Davidis & Salomonis navigationes, partim per matrimonia Salomonis, partim per reginæ Sabææ aulicos, partim per commercia Josaphati auspiciis cum Thracibus tentata, partim per bella in Asia & Ægypto gesta, partim in captivitate Babylonica, partim sub imperio Macedonum, partim per philosophorum gentilium per Judæam peregrinationes, partim per translationem

nem V. T. Græcam a LXX. Interpretibus confectam. Id quod copiosius ostendit laudatus *Vockerodtus*. Conf. *D. Langii* œcon. *salut. evang.* pag. 319. seq. & beati *D. Wolffg. Franzii* schol. sacrific. *dissert. 9.*

5) successit deinceps illustrissima vocatio universalis *Apostolica*, quam ab objectionibus præclare vindicat beatus *Hollazius* lib. cit. part. 3. p. 243. sqq.

6) quamvis postea in quibusdam regionibus verbi divini semen temere obtritum est, mansit tamen & permansit vocatio universalis: nam licet non omnes vocaverit vocatione solemni per verbum adnuntiatum, vocavit tamen vocatione minus solemni, partim per verbum legibile & in regiones dissitas transportatum, partim per famam de ecclesia & religione Christiana longe lateque dispersam, partim per efficacem excitationem ad inquirendum verum DEI cultum. Hinc *Patres ecclesiæ* X. priorum a C. N. sæculorum *universalitatem vocationis divinæ* docuisse, ipse confitetur celeb. *Vossius* in *Hist. Pelagian.* lib. 7. p. 656. seqq.

7) quod & olim & hodie multæ exsistunt gentes verbo evangelii destitutæ, illorum sit culpa, non destinata voluntate

DEI: nam aut DEUS pro infinita sua omniscientia prævidit, eas verbum divinum malitiose rejecturas; aut famam de Christianorum dogmatibus, hodie certe universalem, temere neglexerunt; aut vocationem pædagogicam per lumen naturæ non secuti sunt. Vid. *Hollazius* l. c. p. 242. & *Hillingerus* l. c. p. 49. seq.

8) *quod DEUS non omni tempore omnes gentes omniaque ac singula individua per verbi prædicationem actu vocat*, inquit summe reverendus D. C. M. *Pfaffius*, quod *& verbum evangelii semel juste ablatum non semper restituitur, id arcano & imperviestigabili DEI judicio committunt Theologi; maxime cum constet, DEUM neminem nisi pro mensura vocationis olim judicaturum*, p. 474. *instit. theol. dogm.*

9) vocatio essentialiter spectata est quidem æqualis Tit. 2, 11. verum inæqualis est ratione ordinis, modi, gradus, horæ & moræ; ut inquit beatus *D. Jo. Conr. Dannhauerus.*

10) si qui forte reliqui sunt scrupuli, perpendantur necesse est, quæ scribit venerandus *D. Langius* in lib. *de gratia DEI universali* pag. 197. seqq. ubi *viam* mediorum salutis *ordinariam*

riam & *extraordinariam* sollicite distinguit.

§. VI. *Forma* vocationis consistit in manifestatione benevolentiæ DEI universalis & oblatione beneficiorum per Christum partorum, 1. Tim. 2, 4. 5. 6. Vocationis *terminus a quo* est status peccati & miseriæ; at terminus *ad quem* est participatio bonorum Christi merito partorum, 1. Thessal. 2, 12. 1. Petr. 2, 9. Rom. 8, 6.

§. VII. Vocatio ad ecclesiam est seria, Matth. 28, 19. 20. 2. Petr. 3, 9. & efficax, Jo. 6, 63. Rom. 1, 16. at resistibilis, Matth. 23, 36. 37. Jes. 65, 2. Act. 13, 46.

§. VIII. Finis vocationis ultimus ex parte DEI est ejus gloria, ex parte hominum eorum salus; *intermedius* est translatio in statum gratiæ, Eph. 1, 17. 18. 1. Petr. 2, 9.

§. IX. Agnoscamus igitur & nostram in spiritualibus ἀδυναμίαν, & summi Numinis admirabilem φιλανθρωπίαν: & ab eorum nosmet separemus cœtu, qui vocationi obicem ponendo reatum augent, Hebr. 12, 15.

LIBER V.
CAP. II.
DE ILLVMINATIONE.

Σύνοψις.

Illuminatio quid? §. 1. *quotuplex?* §. 2. 3. 4. *ejus forma*, §. 5. *cauſſa efficiens*, §. 6. *medium*, §. 7. *ſubjectum*, §. 8. *finis* §. 9. *uſus hujus doctrinæ*, §. 10.

§. I.

Illuminatio eſt actus gratiæ adplicatricis, quo Spiritus S. hominem peccatorem, ad eccleſiam vocatum, per verbum magis magisque ad res ſalutares informat, ut, depulſis ignorantiæ errorumque tenebris, ex lege peccati agnitionem, & ex evangelio cognitionem miſericordiæ divinæ in Chriſti merito fundatæ, eidem inſtillet.

§. II. Illuminatio commode dividitur in

a) *primam*, qua Spiritus luminis per verbum cognitionem veritatum ſacrarum inſtillat, quæque ad gratiam *præparantem* & *docentem* pertinet. Nam cognitio hauſta ex verbo revelato ſemper eſt ſupernaturalis. Conf. *Weiſſenbornii* diſſert. cit. §. 33. 34. & *Meyeri* Glaubens-Grund und Lebens-

Weg

Weg p. 170. seqq. Hic primus gradus illuminationis dicitur *illuminatio medii*; duce S. R. *D. Val. Ern. Læscher.* Vid. Psalm. 119, 105. 2. Petr. 1, 19. Joan. 1, 9.

β) *secundam*, quæ etiam in voluntatem agit efficaciter, & operatur cum conversionem tum regenerationem. Nam primo & immediate illuminatur intellectus peccatoris, consequenter & mediate etiam illius voluntas. Hic secundus illuminationis gradus dicitur *illuminatio effectus*: hujusque participes facti dicuntur ἅπαξ φωτισθέντες *plene illuminati* Hebr. 6, 4. 5. coll. Judæ v. 3. 5.

γ) *tertiam*, quæ opera lucis producit, & regenitum donat uberioris illuminationis charismate. Hic tertius illuminationis gradus dicitur *illuminatio unctionis* 1. Jo. 2, 17. seqq. 27. seu *gratia* utramque *lucem*, & medii & effectus, *augens*. Conf. laudati *D. Læscheri* Stromat. *de illuminat.* §. 6. pag. 47. sq.

Similitudo Biblica, qua verbum DEI comparatur cum *luce*, hanc divisionem egregie illustrat. Nam lux *primo* lucet: *deinde* accendit; & *denique* calefacit, motumque efficit.

§. III. Fundamentum hujus distinctionis in clarissimis scripturæ dictis est manifestum.

festum. Discrimen *primæ* & *secundæ* illuminationis probatur ex Eph. 5, 14. cum sine prævio lumine scripturæ peccator ignoret, quid sit conversio sive resurrectio spiritualis. Jac. 4, 17. adde Luc. 12, 47. Discrimen *secundæ* & *tertiæ* illuminationis probatur luculenter ex Coloss. 1, 9. 10. 11. Eph. 1, 17. 18. adde Luc. 8, 18.

§. IV. Alii, cum clarissimis theologis, *Jo. Conr. Dannhauero*, *Seb. Schmidio*, & *Jo. Andr. Quenstedio*, distinguunt inter illuminationem *perfectam* & *imperfectam:* hujus subjectum est homo irregenitus; illius subjectum est homo regenitus. Cumque illuminatio sit actus successivus, utique prima & *imperfecta* illuminatio potest esse in intellectu, absque emendatione voluntatis. *Perfecta* a *b. D. Ge. Frid. Schræero* dicitur *emphatica illuminatio*, in diss. *de ordine salutis* §. 12.

§. V. Forma illuminationis consistit in eruditione e verbo DEI de rebus sacris ad hominum salutem pertinentibus. *Illuminatio*, inquit beatus abbas *D. Joach. Just. Breithaupt*, magis *intellectum respicit*, *regeneratio magis voluntatem*; pag. 136. *thes.* cre-

credendorum. Caveamus vero, ne in DEUM injurii simus, si *notitiam grammaticam* cum *sensu* scripturæ *litterali* confundamus: hic enim νᾶς Christi est 1. Cor. 2, 16.

§. VI. Caussa illuminationis efficiens principalis est DEUS trinunus Psalm. 118, 27. 1. Jo. 1, 5. Jac. 1, 17. *pater* 2. Cor. 4, 6. *filius* Jo. 1, 9. & κατ' ἰδιοποίησιν *Spiritus S.* Ephes. 1, 17. 2. Cor. 3, 18. 1. Joan. 2, 27. Caussa ministerialis sunt ministri verbi divini Matth. 5, 14. 2. Cor. 4, 6. Ephes. 3, 8. 9. 1. Tim. 4, 16.

§. VII. Medium illuminationis est verbum DEI, 2. Petr. 1, 9. ideoque illuminatio vel *legalis* est, quæ peccatum manifestat; vel *evangelica*, quæ gratiam DEI manifestat. Illa habet lucem terrentem, hæc lucem exhilarantem, Gal. 3, 24. 2. Cor. 3, 6. 7. 8. 9. Conf. beati *D. Breithaupti thes. credend.* p. 131. seq.

§. VIII. Subjectum illuminationis sunt homines gratiam vocantem admittentes, verbumque DEI audientes, legentes & meditantes. Terminus *a quo* est cœcitas intellectus; terminus *ad quem* est lux salutaris cognitionis, Jes. 59, 8. Eph. 4, 18. 5, 8. 9.

§. IX. Illuminationis finis proximus est peccatoris conversio & regeneratio; ultimus ex parte nostri est illuminatio gloriosa Apoc. 21, 23. 22, 5. ex parte DEI gratiæ divinæ gloria.

§. X. Cum illuminationem, si operationi ejus locus relinquatur, reliquæ omnes gratiæ divinæ operationes sequantur; tuto statum suum homo sequenti ratione explorabit. Si ei desit quotidiana renovatio, nondum est justificatus: si nondum est justificatus, neque dici potest conversus & regenitus; si nondum est conversus nec regenitus, deest ipsi illuminatio perfecta sive complete salutaris. Conf. *Meyeri* lib. cit. p. 316. seqq.

LIBER V.
CAP. III.
DE CONVERSIONE.

Σύνοψις.

Conversio transitiva quid? §. 1. quotuplex? §. 2. 4. 5. ejus & regenerationis discrimen, §. 3. ejus caussa principalis & ministe-

nisterialis, §. 6. 7. *forma*, §. 8. *terminus a quo & ad quem*, §. 9. 10. *finis*, §. 11. *usus hujus doctrinæ*, §. 12.

§. I.

Conversio transitiva, sensu specialissimo accepta, est actus gratiæ adplicatricis, quo Spiritus S. voluntatem & cor hominis peccatoris in medio statu peccati inhibet, frangit & conterit, ut cum dolore animi peccata detestetur, & præparetur ad salvificam in Christum fidem concipiendam.

§. II. Conversio transitiva sumitur

α) vel in sensu generali, quo complectitur omnem ordinis salutis ambitum, e. g. in solida declar. form. conc. p. 675.

β) vel in sensu speciali, quo & excitatio doloris per legem & productio fidei per evangelium comprehenditur, & secundum quem regeneratio est conversionis synonymum.

γ) vel in sensu specialissimo, ut h. l.

§. III. Accurate loquendo triplex discrimen inter conversionem & regenerationem intercedit. Nam

α) regeneratio & infantum & adultorum est, conversio vero solum adultorum.

β) regeneratio fit per verbum & sacramentum baptismi, conversio per solum verbum.

γ) regeneratio tantum fit per evangelium, conversio magis fit per legem quam per evangelium.

§. IV. Ceterum conversio est

α) vel ordinaria, quæ fit per verbum legis;

β) vel extraordinaria, qua DEUS vel

1) *immediate* peccatorum sic percellit, ut ad detestationem peccatorum perducatur, e. g. latronem in cruce, Luc. 23, 42. Paulum Act. 9, 3. 4. vel

2) *per miracula*, e. g. centurionem Luc. 23, 48.

§. V. Denique conversio ordinaria est vel prima vel secunda: hæc est conversio relapsorum, Jerem. 3, 12. 13. Apoc. 2, 5. 1. Tim. 1, 19.

§. VI. Caussa efficiens principalis est DEUS Trinunus: nam conversio ex parte DEI operantis est activa, ex parte hominis convertendi est mere passiva, Jer. 31, 18. Ezech. 11, 19. 2. Tim. 2, 25. *Pater* Act. 17, 30. *Filius* Marc. 1, 15. *Spiritus Sanctus* Jo. 16, 9. Et quidem omnes homines serio vult convertere 2. Petr. 3, 9. etiam induratos Ps. 95, 8. conf. Hebr. 3, 13. *Passive* nimirum, & *mere obedientialiter*, hic sese habet homo Joan. 15, 5. ideoque id, quod non resistit, non de suo habet, sed ex gratia.

Luc.

Luc. 15, 14. sqq. Sola *cooperans gratia* nomine *auxilii* venit. Vid. *b. D. Jo. Hülsemanni* prælect. in *form. concord.* p. 502. Hinc, quid de recens inventa *pugna pœnitentiali* statuendum sit, liquet. Non homo pugnat, sed Spiritus S. pugnat in homine convertendo: qui, postea conversus, est quasi præda, quam Spiritus S. reportat. Conf. *b. D. Burgmanni*, theologi Rostochiensis, dissert. *de pugna pœnitentiali*, & *b. D. Lichtscheidii* hac de re sententiam.

§. VII. Caussa ministerialis ordinarie sunt præcones verbi I. Cor. 3, 9. extra ordinem quilibet pius Christianus, Jac. 5, 19. 20. Caussa organica sive medium conversionis est verbum legis Rom. 4, 15. subjectum conversionis est homo adultus per peccata mortifera a DEO aversus, Jes. 59, 2.

§. VIII. Forma conversionis consistit in excitatione contritionis & præparatione cordis ad fidem per evangelium in eo accendendam. Ordine naturæ præcedit conversio, regeneratio sequitur. Et non solum *Form. Concord.* inter conversionem & regenerationem discrimen constituit p. 662. sed & *Henr. Hœpfnerus*, *J. B. Carpzovius*, *J. G. Neumannus*, atque *Dav. Hollazius* in stri-

ſtrictiſſima ſignificatione vocem converſionis adhibent.

§. VI. Terminus converſionis *a quo formalis* ſunt peccata cum actualia tum habitualia; terminus *ad quem* proximus eſt contritio, remotus eſt fides in Chriſtum.

§. X. Terminus *a quo objectivus* ſunt res, quæ peccatorum actualium objecta ſunt, ſpeciatim illæ, quibus peccatores præ ceteris ſeſe mancipaverant; terminus *ad quem* eſt DEUS, qua de re converſio Act. 20, 21. μετάνοια εἰς τὸν θεὸν dicitur, homines-que dicuntur ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν θεόν Act. 14, 15. Conf. beati *D. Jo. Muſæi* tract. *de converſione*.

§. XI. Finis converſionis proximus eſt regeneratio Act. 2, 38. ultimus ex parte hominum eſt vita æterna 2. Cor. 7, 10. ex parte DEI gloria divini Numinis Act. 11, 18.

§. XII. Relinquamus igitur locum operationibus DEI, qui ſaxea corda legis malleo cupit frangere, ut præparemur & diſponamur ad ſuſcipiendum vera fide JESUM, ſalutis noſtræ adſertorem & vindicem; veruntamen ſimul nobis perſuadeamus, contritionem absque fide non eſſe ſalutarem.

LIBER

LIBER V.
CAP. IV.
DE REGENERATIONE.

Σύνοψις.

Regeneratio quid? §. 1. 2. ejus cauſſa efficiens, §. 3. impulſiva, §. 4. organica, §. 5. miniſterialis, §. 5. ſubjectum, §. 6. forma, §. 7. 8. terminus a quo & ad quem, §. 9. 10. 12. 13. adfectiones, §. 14. finis, §. 15. uſus hujus doctrinæ, §. 16.

§. I.

Regeneratio eſt actus gratiæ adplicatricis, quo Spiritus S. peccatorem viribus credendi carentem, ſed contumaciter non repugnantem, ex miſericordia in merito Chriſti fundata, vera in Chriſtum fide per evangelium & baptiſmum accenſa donat, ut juſtificetur, renovetur & ſalvetur.

§. II. Regeneratio ex parte DEI eſt activa, ex parte hominis paſſiva. Et alia regeneratio eſt in hac vita, alia poſt hanc vitam Matth. 19, 28. conf. Act. 3, 20. Denique regeneratio vel latius ſumitur, quatenus converſionem, juſtificationem & renovatio-

vationem complectitur; vel strictius, ut hoc loco. Regenerationis strictius acceptæ synonyma sunt α) nova creatio 2. Cor. 5, 17. β) vivificatio Eph. 2, 5. γ) resuscitatio spiritualis Coloss. 3, 1.

§. III. Caussa regenerationis efficiens principalis est DEUS trinunus Joan. 1, 12. 13.

α) Pater 1. Petr. 1, 3.

β) Filius Psalm. 110, 3. Jes. 9, 5.

γ) Spiritus S. 2. Cor. 4, 3.

§. IV. Caussa impulsiva interna est DEI misericordia, externa satisfactio & meritum salvatoris, 1. Petr. 1, 3. Jac. 1, 18.

§. V. Caussa regenerationis organica seu medium est verbum evangelii: & sacramentum baptismi, speciatim in infantibus, 1. Petr. 1, 23. 1. Cor. 4, 15. Tit. 3, 5.

§. VI. Caussa ministerialis sunt præcones verbi, quatenus verbum DEI & baptismum hominibus juxta institutionem divinam adplicant, 1. Cor. 4, 1. 15.

§. VII. Subjectum QVOD sunt homines vita spirituali carentes, sed pertinaciter non repugnantes: tam infantes; quam adulti e verbo DEI informati. Subjectum QVO est anima humana cum suis facultatibus: nam in intellectu adulti plenior veræ cognitio-

gnitionis DEI lux, & quidem tanta, quanta ad fidem juſtificantem in animo accendendam requiritur, accenditur; in voluntate fiducia in Chriſtum excitatur, conf. celeb. *D. Walchii* diſſert. *de fide infantum*.

§. VIII. Forma regenerationis conſiſtit in donatione fidei, ſive productione vitæ ſpiritualis: quæ commode dicitur regeneratio, propter convenientiam cum generatione naturali. Nam

α) generans eſt DEUS, & regeniti dicuntur filii DEI, Jo. 1, 12. Matth. 6, 9. & accipiunt Spiritum υἱοθεσίας Rom 8, 15.

β) fideles regenerantur ex ſemine, quod eſt verbum DEI 1. Petr. 1, 23.

γ) fideles divinæ naturæ participes fiunt 2. Petr. 1, 4. Nam amiſſa imago divina reſtauratur: quæ reſtauratio in regeneratione inchoatur, ut ſupra dictum.

δ) qui regenerantur, vitæ ſpiritualis fiunt participes Eph. 2, 5.

ε) homo ad ſui regenerationem prorſus nihil confert. Eph. 2, 1. Conf. beati *D. Buddei* theol. dogm. lib. 4. cap. 3. §. 16.

Modus autem donationis fidei in eo conſiſtit, ut Spiritus S. ſucceſſive per prævios actus ſupernaturales, a ſe ipſo excitatos, fidem

dem habitualem conferat. Conf. beati *D. Baieri* comp. theol. part. 3. cap. 4. §. 12.

§. IX. Terminus a quo regenerationis est mors spiritualis, quæ consistit

א) in absentia virium spiritualium: deficit nimirum

α) in intellectu viva divinorum cognitio;

β) in voluntate amor summi boni, DEI.

ב) in propensione ad mala, cum sit in intellectu ignorantia & stultitia, in voluntate prava Φιλαυτία, & in corpore ἀταξία motuum.

§. X. Terminus ad quem regenerationis est spiritualis vita, Gal. 2, 20. consistens

α) ratione intellectus in illuminatione ejusdem secunda, cognitionem & adsensum veri nominis operante; & in sapientia spirituali, Jac. 3, 15. 16.

β) ratione voluntatis in excitatione fiduciæ.

γ) ratione corporis & facultatum mixtarum in τάξει atque harmonia jucundissima motuum, imaginationis, & adpetitus sensitivi.

§. XI. Insignis igitur in homine per regenerationem contingit mutatio: quæ in eo erant, abolentur; quæ non aderant, producuntur. Non tamen ipsa hominis substantia immutatur. Ergo hæc mutatio nec nimis extenuanda nec nimis exaggeranda est.

§. XII.

§. XII. Denique probe tenenda est distinctio

α) inter actum & statum regenerationis: nam incrementa novi hominis a prima ejus productione sunt discernenda.

β) inter actus animales, qui naturales mentis corporisque facultates principium agnoscunt; & inter actus spirituales, qui per fidem in regenitis producuntur. Conf. beati *D. Phil. Jac. Speneri* lib. *de natura & gratia.* & meine 6. Pred. von der Natur und Gnade.

§. XIII. Regeneratio infantum est momentanea: nam in iis non est repugnantia adfectata & morosa; naturalem vero frangit gratia Spiritus S. Sed adultorum regeneratio est successiva, Gal. 4. 19.

§. XIV. Adfectiones regenerationis sunt

α) necessitas, Joan. 3, 5. 6.

β) efficacia, ex parte DEI, Joan. 10, 28.

γ) defectibilitas, ex parte hominum, 1. Tim. 1, 19. Rom. 6, 13.

δ) Iterabilitas, Gal. 4, 19. notentur exempla Mosis, Aaronis, Davidis &c.

§. XV. Finis regenerationis intermedius est justificatio, renovatio, & spes beatitudinis viva: ultimus est vita æterna Deique gloria, Rom. 6, 4. Eph. 1, 3. 6. Tit. 3, 7. 1. Petr. 1, 3. 4.

§. XVI. Hæc qui paullo rectius consideraverat, miratur opus ac beneficium divinum: gloriatur, quod ex DEO natus sit: ipso ostendit opere, se esse filium DEI, Ephes. 2, 10. 1. Jo. 3, 9. 5, 18. 4. Conf. *D. Maji* theol. mor. p. 81. seqq.

LIBER V.
CAP. V.
DE POENITENTIA.

Σύνοψις.

Pœnitentia quid? §. 1. *quotuplex*, §. 2. 3. *ejus partes*, §. 4. *contritio*, §. 5. 6. 7. *fides*, §. 8. *sqq.* *veræ pœnitentiæ κριτήρια*, §. 18.

§. I.

Pœnitentia est motus animi per gratiam Spiritus S. convertentem & regenerantem excitatus, quo homo peccator peccata sua serio cum dolore detestatur, & gratiam DEI im merito Christi fundatam vera fide adprehendit, ut, impetrata peccatorum remissione, in perpetuum salvetur.

§. II.

§. II. Pœnitentia est vel *lapsorum*, Apoc. II, 4. 5. de qua h. l. agimus; vel *stantium*, quæ est quotidianus dolor de peccatis infirmitatis & amplexus fiducialis gratiæ divinæ per Christum partæ. Vid. *b. D. Balth. Bebelii* differt. *de pœnit. lapsorum.*

§. III. Pœnitentia sumitur vel ὁλικῶς pro tota conversione intransitiva, vel μερικῶς pro sola contritione. Hic vox fidei additur pœnitentiæ e. g. Marc. 1, 15. ibi non item e. g. Luc. 24, 47.

§. IV. *Partes pœnitentiæ* duæ sunt: *contritio & fides*, Act. 26, 20. coll. Heb. 11, 6. Conf. summe reverendi *D. Zeltneri* synops. logomach. Pietistic. p. 244. Qui cum quibusdam recentioribus *desperationem*, ut vocant, *salutarem* inter contritionem & fidem collocant, illi a vero τρόπῳ παιδείας aberrant. Psalm. 130, 3. Philipp. 3, 9. 2. Cor. 3, 4. Divellunt enim χαρίσματα, quæ mutuo nexu arctissime sese excipiunt. Marc. 1, 15. Act. 2, 38.

§. V. *Contritio* est serius & sanctus dolor cordis, quo peccator agnita ex lege peccata serio detestatur. Quæ in se complectitur, ex mente beati *D. Jo. Gerhardi*,

α) veram peccatorum agnitionem, Jer. 14, 20.
β) sensum iræ divinæ, Ps. 38, 2.
γ) angores conscientiæ, Ps. 25, 27. 2. Cor. 7, 9. 10. 11.
δ) sinceram coram DEO subjectionem, Psalm. 44, 26.
ε) ingenuam peccatorum confessionem, non tamen specialem omnium ac singulorum peccatorum, 1. Joann. 1, 9. coll. Ps. 19, 13.
ζ) odium ac detestationem peccati, conjunctam cum satisfactione læso proximo præstanda, Luc. 19, 9.

§. VI. Contritio est neque caussa salutis meritoria, neque medium salutis caussale & positivum; sed medium ordinis, idque privativum, removens impedimenta remissionis peccatorum. Qui *summum tristitiæ gradum* in contritione *necessarium* esse statuunt, falluntur & errant. Nam

α) indoles temperamenti melancholici auget tristitiam, quæ postea effectus mixtus est & naturæ & gratiæ:
β) sapientiæ divinæ adversatur, omnibus parem tristitiæ mensuram largiri:
γ) nefarium est, DEO præscribere mensuram tristitiæ:
δ) desiderium vehementer contriti cordis, quod homini inest, jam jam est sacrificium DEO gratum. Conf. *b. D. Phil. Jac. Speneri* Catechism. quæst. 1146.

§. VII.

§. VII. Signa contritionis præcipua, sed tantum probabilia, sunt

α) jejunium, 1. Sam. 7, 6. 2. Chron. 20, 3. Esdr. 8, 21. Nehem. 1, 4. Dan. 10, 3. Jon. 3, 5.

β) percussio pectoris Luc. 18, 13.

γ) lacrymæ, Exod. 33, 4. Psalm. 6, 7. Matth. 26, 75.

δ) laceratio vestium, Gen. 37, 34. Joel. 2, 13.

§. VIII. *Fides in Christum* est donum Spiritus S. quo peccator, conversus & renatus, promissionem evangelicam de gratia DEI & remissione peccatorum per Christum impetranda salutariter agnoscit, solido adsensu comprobat, & singulari fiducia sibi adplicat, ut justificetur & salvetur.

§. IX. Intelligitur h. l. non fides *objectiva* s. quæ creditur, sed *subjectiva* s. qua creditur:

α) non vana & mortua, sed vera & viva:

β) non historica, nec miraculosa, sed justificans:

γ) non generalis, qua homo credit, omnia verbo divino revelata esse vera; sed specialis, qua peccator promissiones universales de Christo sibi in individuo adplicat:

δ) non absolute spectata, prout ad primum præceptum Decalogi pertinet, sed relative, quatenus meritum Christi adprehendit.

§. X. Fidei subjectum QVOD sunt tum peccatores adulti, conversi & renati; tum infantes per baptismum regeniti: subjectum QVO est intellectus ratione notitiæ & adsensus, & voluntas ratione fiduciæ, 1. Jo. 5, 1.

§. II. Objectum fidei generalis est omne verbum DEI revelatum; specialis est Christus Mediator, evangelica promissione oblatus.

§. XII. Vis & ἐνέργεια fidei est duplex, receptiva & operativa: illa sese exserit in justificatione, hæc in renovatione. Hinc forma fidei justificantis consistit in λήψει, adprehensione, receptione & speciali adplicatione objecti salvifici, quod est satisfactio Christi; receptio autem meriti Christi est triplex,

α) cognoscitiva, quæ fit per notitiam,
β) adprobativa, quæ fit per adsensum,
γ) adpropriativa, quæ fit per fiduciam.

§. XIII. Actus, gradus aut partes fidei sunt tres, Joan. 17, 8. nempe

α) *Notitia* supernaturalis a Spiritu S. per illuminationem accensa de omnibus credendis, in primis de Christo ejusque merito. Jo. 6, 69. Jes. 53, 11. Jo. 17, 3.

β) Ad-

β) *Adsensus* fidei, cum generalis, quo promissiones de gratia DEI per Christum veræ judicantur Act. 24, 14; tum specialis, quo peccator illas ad se in individuo pertinere statuit, 1. Tim. 1, 15.

γ) *Fiducia*, quæ est actus voluntatis, quo peccator avide expetit misericordiam DEI, Christumque amplectitur, adversus omnes terrores ipsi innititur, & in eodem secure adquiescit, Rom. 4, 20. Hebr. 11, 1. Ephes. 3, 12. 1. Tim. 1, 15.

§. XIV. Fidei justificantis finis intermedius est justificatio & renovatio Act. 10, 48. 16, 31: ultimus ex parte hominis est vita æterna, ex parte DEI gloria divinæ misericordiæ, Rom. 8, 30. 33.

§. XV. Fides justificans, essentialiter & absolute considerata, est una; at respective & accidentaliter spectata distinguitur

α) ratione *gradus* in parvam & magnam, Marc. 9, 24.

β) ratione *durationis* in temporariam & finalem Luc. 8, 13. Matth. 10, 22.

γ) ratione *modi cognoscendi* in *directam* seu simplicem infantum Matth. 18, 6. & in *reflexam* seu discursivam adultorum 2. Tim. 1, 12.

δ) ratione *exercitii* in actualem & habitualem.

§. XVI. Adfectiones fidei veræ ſunt

α) *certitudo*, cum ex parte objecti quod creditur, tum ex parte ſubjecti quod credit Rom. 8, 16. 2. Tim. 1, 12.

β) *fœcunditas*, qua bona parit opera Matth. 3, 8. Gal. 5, 25.

§. XVII. Doctrina de contritione non poteſt adverſari ſanæ rationis principiis; id quod oſtendit laudatus *D. Clauswizius* lib. cit. p. 972. ſqq. Neque doctrinam de fide iisdem repugnare, cap. ſeq. §. 11. comprobatum dedi, nec non paſſim in *præparatione* mea *evangelica*.

§. XVIII. Κριτήρια veræ pœnitentiæ ſunt agnitio peccati & iræ divinæ non ſuperficiaria 1. Cor. 11, 31. 32. dolor de peccatis verus & ſerius, qui ex amore offenſi Numinis proficiſcitur 2. Cor. 7, 8. qui ſe manifeſtat confeſſione peccatorum, ſignis geſtibusque externis, item odio & fuga peccati: fides viva, fructuum pœnitentia dignorum genitrix 2. Cor. 7, 10. 11. Ceterum, qui κριτήριον veræ pœnitentiæ & converſionis ſtatuunt, *ſcire temporis periodum, in qua Spiritus S. converſionem, in latiori ſenſu acceptam, operatus eſt, obſervent velim*,

α) id verum eſſe apud eos, qui attentiori præditi ſunt judicio, qui non verſantur in ſtatu tenta-

tentationis, & qui sine mora prioribus motibus locum dederunt:

β) *absolute* certum criterium hoc non posse vocari, sed multis hic opus esse restrictionibus:

γ) Joannem & Christum certiora nobis indicare criteria Matth. 3, 8. 12, 33. coll. Jac. 4, 6. 7. 8. 9. Nam *effectus testatur de caussa.*

LIBER V.
CAP. VI.
DE JVSTIFICATIONE.

Σύνοψις.

Justificatio quid? §. 1. quotuplex? §. 2. ejus caussa efficiens, §. 3. impulsivæ caussæ, §. 4. 5. subjectum §. 6. forma, §. 7. 8. 9. ea est actus forensis, §. 10. medium ejus, §. 11. seqq. ejus finis, §. 16. adfectiones, §. 17. effectus, §. 18. usus hujus doctrinæ, §. 19.

§. I.

Justificatio est actus gratiæ, quo DEUS, justus & misericors judex, homini peccatori, culpæ & pœnæ reo, sed converso & renato, ex mera misericordia, propter satisfactio-

factionem Christi vera fide adprehensam, justitiam Christi imputat & peccata remittit, ut adoptionis particeps & hæres fiat vitæ æternæ.

§. II. Justificatio distinguitur in *primam*, qua peccator ex statu peccati & iræ transfertur in statum justitiæ & gratiæ: & *secundam* seu *continuatam*, qua in statu gratiæ conservatur.

§. III. Caussa efficiens principalis justificationis est DEUS Trinunus, Marc. 2, 7.

α) Pater Rom. 8, 33.

β) Filius Jes. 53, 11. Matth. 9, 2. 6.

γ) Spiritus S. 1. Cor. 6, 11.

§. IV. Caussa impulsiva interna est gratuitus DEI favor, quo credentes in Christum complectitur, Rom. 3, 24.

§. V. Caussa impulsiva externa, eaque principalis & meritoria, est satisfactio & meritum Christi, complectens cum activam tum passivam Christi obedientiam: hic enim

α) *obedientia activa* legem divinam, loco generis humani, perfectissime implevit, ita ut hæc impletio vicaria peccatoribus ad justitiam imputetur, Rom. 8, 4. 5, 19.

β) *obedientia passiva* peccatorum pœnas, violatoribus legis infligendas, sua sponte in se trans-

transtulit ac perpessus est, ne peccata conversis & renatis imputentur in pœnam, Rom. 3, 25.

§. VI. *Subjectum justificationis* est homo peccator, culpæ & pœnæ reus coram judicio divino; sed conversus & renatus. Nam sine adplicatione meriti Christi per fidem homo justus reputari nequit; fides vero sine pœnitentia locum habere nequit; id quod solide demonstrat *D. Clauswizius* lib. cit. cap. XI. §. 1. & 2.

§. VII. Forma justificationis consistit in

α) *actu positivo*, qui est imputatio justitiæ Christi, quæ sanæ rationi minime adversatur. nam sicut transgressio protoplastorum posteris eorum, depravatam naturam habentibus, jure imputari potest: ita justitia Christi recte iis imputatur, qui per spiritualem regenerationem a Christo quasi descendunt, quique eodem, quo Christus, adfectu & animo sunt, Philipp. 2, 5. Rom. 15, 5. & in

β) *actu privativo*, qui est non-imputatio sive remissio peccatorum, 2. Cor. 5, 21. coll. Rom. 5, 19. 2. Cor. 5, 19. Extra justificationem duplex malum nobis inest, positivum i. e. *peccatorum reatus*, & privativum i. e. *defectus justitiæ*. Hoc tollit imputatio justitiæ Christi; illud remissio peccatorum.

§. VIII.

§. VIII. Imputatio alia est ex debito, quando actio voluntaria personæ agenti attribuitur: alia (*) ex gratia, quando effectus non agenti, sed illi personæ ex gratiosa judicis æstimatione tribuitur, in cujus commodum actio suscepta fuit directa. In justificatione igitur DEUS meritum Christi ita ad peccatorem conversum & renatum pertinere judicat, ut ipsum propter obedientiam Christi activam, singulari fiducia adplicatam, justum reputet, & propter obedientiam passivam, vera fide apprehensam, a culpa & pœna absolvat. Fidelis enim in Christi satisfactionem, ejusque imputationem, sibi a Deo impertiendam, consentit, ideoque imputatio moralis locum habet certissime, sine omni dubio. Vid. celeb. *Jo. Ge. zur Linden* differt. *de satisfactionis vicariæ imputatione.*

§. IX. Justificatio non mutat hominem intrinsecus; sed extrinsecus, ratione status: est enim actio, quæ fit extra hominem in DEO; licet sentiat homo, se restitui apud DEUM in gratiam. De qua interna justificationis sensione theologus Hafnienſis clarissi-

(*) Vid. *Clauswizii* lib. cit. p. 979. seqq.

rissimus, *D. Jerem. Frider. Reussius*, accurate disserit in der Lehre von der Rechtfertigung p. 135. sqq. Ergo vox *justificare* accipienda est in sensu forensi & judiciali, ita, ut significet *peccatorem a reatu absolvere eumque justum declarare*. Forensem hanc significationem confirmant

1) satisfactio typica & antitypica forensis:
2) analogia imputationis peccati Adamitici Rom. 5, 12. seqq.
3) Biblicus usus forensis verborum צְדָקָה & δικαιοῦν. 2. Sam. 15, 4. Deut. 25, 1. Act. 13, 39. Rom. 3, 30.

§. X. Adest in hoc actu forensi

α) judex, DEUS trinunus, Rom. 2, 5. 3, 6. 15, 10.
β) judicium, Psalm. 143, 2.
γ) reus, omnis homo peccator, at pœnitens, Rom. 3, 19.
δ) actor sive accusator, Moses, Joan. 5, 40. Rom. 5, 20.
ε) testis, qui est conscientia, cujus convictio dicitur *chirographum*, Rom. 2, 15.
ζ) sententia condemnatoria, quæ habetur Deut. 27, 26.
η) interveniens advocatus & sponsor, qui est Mediator Christus, 1. Tim. 2, 6. 1. Joan. 2, 1. 2.
θ) Hujus autem meriti imputatio gratiosa est

vel

vel privativa vel positiva; utraque vero realis est,

א) ratione fundamenti, quod est obedientia Christi:

ב) ratione seriæ intentionis Christi, omnia bona spiritualia peccatoribus conciliandi:

ג) ratione veræ & realis unionis cum Christo, quæ fit per fidem:

ד) ratione effectus, qui est realis justitiæ Christi imputatio & peccatorum remissio.

§. XI. Media justificationis δοτικά ex parte DEI sunt verbum evangelii & sacramenta; ληπτικὸν ex parte hominis est fides, 2. Cor. 5, 19. Gal. 3, 27. Luc. 22, 20. Gal. 3, 14. Ipsa sana ratio docet, satisfactionem Christi peccatorem debere agnoscere & sponte sua accipere; cum libertas voluntatis, quæ ad animæ nostræ essentiam pertinet, impediat, quo minus in actibus moralibus quasi mechanice & violento modo cogamur. Si vero *agnosci* debet, si evangelium de Christo *adsensu* accipi ejusque meritum *fiduciali* adprehensione singulis adplicari debet; sequitur, ut doctrina de fide justificante sanæ rationi non sit adversa. Jo. 1, 11. 12. Col. 2, 6. Nam satisfactio spon-

sponsoris vicaria non potest homini peccatori imputari, eique in salutem cedere, nisi ipse in satisfactionem illam, ejusque imputationem, a DEO sibi impertiendam, consentiat consensu morali. Conf. *b. D. Frid. Rappolti* diss. inaug. *de imputatione*, & *dissert.* mea *Doctoralis* supra adlegata *sect. 1. § 8.* & *sect. 2. §. 7.*

§. XII. Fides justificat, non per se, propria dignitate DEUM movendo; sed quatenus, ut medium receptivum, meritum Christi adprehendit, cujus intuitu DEUS impellitur ad justificandum peccatorem. *Sola* autem *fides* est medium divinitus ordinatum, quo adprehendimus nobisque adplicamus satisfactionem Christi Jo. 1, 12. Hebr. 4, 16. Ephes. 2, 4-10.

§. XIII. Bona igitur opera circulum justificationis non ingrediuntur. Nam

a) in actu *justificationis primæ* non sunt præsentia: *Pii* enim *motus*, qui sunt in homine justificando, non nisi in sensu generali, & quidem contra usum Biblicum, dici possunt bona opera. Vide beati *D. Wernsdorffii* dissert. de quæstione: *an bona opera in justificatione sint præsentia?* qui p. 28. seqq *§. 4. tenenda est*, inquit, *distinctio inter justificationem primam, & secundam seu continua-*

tinuatam, quæ in ſacris litteris optime fundata eſt, nimirum Rom. 5, v. 2. 1. Jo. 1, 9. Mandent, quæſo, hæc verba memoriæ ſuæ reverendi auctores der unſchuldigen Nachrichten, propter ea, quæ ſcribere præter opinionem auſi ſunt in *collect. 2. ad annum* 1732. p. 316. ſeqq. ſimulque legant *b. D. Jo. Joach. Zentgravii* diſſ. *de converſione hominis continuata*; ac denique perpendant, juſtificationem primam non *formaliter* diſtinctam eſſe a ſecunda. *Omne practicum a fide juſtifica removemus, tanquam juſtificatione poſterius*, inquit *b. D. Schrœerus* in diſſert. ſupra citata p. 37. Adde Phil. 1, 11.

β) in *juſtificatione ſecunda* ſunt quidem præſentia, ratione *adeſſentiæ*, (quæ minime adverſatur actui juſtificationis gratuito) non autem ratione *efficientiæ:* ad meritum enim requiritur,

א) *ut actio agenti imputari queat*; homo autem ex viribus gratiæ bona patrat opera.

ב) *ut actio non ſit perfecte debita*; bona autem opera ſunt debita, plena obligatione.

ג) *ut proportio ſit inter actionem & meritum*; inter opera autem hominum & regnum cœleſte nulla eſt proportio.

ד) *ut alter ex lege aut conventione obligetur ad actionem meritoriam compenſan-*

penſandam, cum merens vires ſuas aliorſum convertere jure potuiſſet; noſtra autem opera, ob adhærens peccatum admodum imperfecta, nihil utilitatis DEO conciliant, nosque DEO, ſummo imperanti totius terrarum orbis, ſummum perfecte debemus obſequium, in omni omnino genere. Perpendantur dicta Biblica Rom. 3, 20. 28. Jeſ. 64, 6. Et legantur, quæ diſſerit *Canzius* lib. cit. tom. 1. p. 421. ſeqq.

§. XIV. Errant igitur Pontificii, contendentes, fidem tantum initialiter, dispoſitive & imperfecte juſtificare: juſtificat enim complete & perfecte, Jo. 1, 12. (NB. ἐξουσία h. l. ſignificat *jus*; γενέσθαι ſignificat *eſſe*.) Hebr. 4, 16. Conf. *b. D. Seb. Schmidii* & *b. D. Jo. Ge. Dorſchæi* comment. in c. 4. epiſt. ad Hebr.

§. XV. In juſtificatione tollitur reatus culpæ & pœnæ ex peccato reſultans, Rom. 4, 7. non autem ſtirps & radix peccati, 1. Jo. 1, 18. coll. Rom. 6, 7.

§. XVI. Finis juſtificationis ex parte hominum eſt æterna eorum ſalus, ex parte DEI gloria divinæ miſericordiæ & juſtitiæ, Tit. 3, 7. Eph. 1, 3. Rom. 4, 6. 9.

§. XVII. Adfectiones juſtificationis ſunt

α) *perfectio*, ita ut nulla opus ſit ſatisfactione propria, Rom. 8, 1. Hebr. 10, 14.

β) *incrementum*, ratione ſenſus uberioris, Apoc. 22, 11.

γ) *certitudo*, ſpem vitæ æternæ gignens, Rom. 8, 32. 33. Eph. 3, 12. 2. Timoth. 1, 12.

§. XVIII. Effectus juſtificationis ſunt χαρίσματα,

α) ad *DEUM patrem* referenda,

1) adoptio Rom. 8, 14. ſqq. 1. Joan. 3, 1. 2.

2) cura DEI paterna ſpecialiſſima, Matth. 6, 20. ſqq. Joan. 10, 28.

3) hæreditas æterna. Matth. 19, 28. 29. Epheſ. 1, 14. 18.

β) ad *JESUM Chriſtum* referenda,

1) juſtitia parta. Phil. 3, 9. Rom. 3, 21. ſeqq.

2) pax ſpiritualis. Jer. 6, 16. Rom. 5, 1.

3) libertas ſpiritualis. 2. Cor. 3, 17. 1. Petr. 2, 16.

γ) ad *Spiritum S.* referenda,

1) uberior ſubinde illuminatio. Col. 1, 9. ſqq.

2) lætitia ſpiritualis. Nehem. 8, 10. Rom. 5, 5.

3) rectio Spiritus Sancti. Pſalm. 51, 13. ſq. Rom. 8, 14, 26.

(δ) ad

δ) ad *DEUM trinunum* referenda,

1) unio cum DEO mystica. Joan. 14, 23. Ephes. 3, 17. Conf. *b. Jo. Jac. Müller*i liber peculiaris de hoc argumento.

2) corroboratio spiritualis. Joh. 1, 6. sqq. Ephes. 3, 16. sq.

3) certitudo salutis. 2. Timoth. 1, 12.

Hanc doctrinam omnium optime illustravit S. R. *D. Joach. Langius* in *œcon. salut. evang.* p. m. 380. sqq.

§. XIX. Hic fidei articulus cum cardinem quasi & centrum evangelicæ religionis contineat; necesse est, ut quilibet sedulo exploret, an factus sit justificationis particeps. Quod si vitiis adhuc lubenti animo indulgeat, & sub peccati constitutus sit dominio; justificatum se dicere nequit. Deinde quilibet justificatus beneficium tantum rite æstimet: ac denique fidem in pura conscientia fideliter custodiat 1. Tim. 1, 19. 3, 9. fidemque demonstret operibus Jac. 2, 18. Sic fidelis justificatus & de gratia DEI certior redditus habet *prægustum vitæ æternæ*: qui vel

α) communis est fidelibus. Cant. 1, 4. Hebr. 6, 6. 2. Petr. 1, 4. 1. Petr. 2, 3. Ps. 34, 9.

β) vel rarior ac peculiari Spiritus S. gratia collatus. Act. 7, 55.

Conf. *b. D. Jo. Wilh. Baieri* tract. *de præguſtu vitæ æternæ.* Hic præguſtus confertur mediantibus Evangelio & Sacramentis: & percipitur præcipue intellectu & voluntate, diffunditur tamen etiam ab animo in corpus.

LIBER V.
CAP. VII.
DE
RENOVATIONE ET SANCTIFICATIONE.

Σύνοψις.

Renovationis definitio, §. 1. add. 2. 3. cauſſa efficiens, §. 4. ſubjectum, §. 5. 12. cauſſæ impulſivæ, §. 6. media, §. 7. terminus a quo & ad quem, *§. 8. ſeqq. forma & finis, §. 13. ſeqq. Bona opera quid? §. 16. eorum forma & finis, §. 17. ſqq. adfectiones, §. 20. renovationis proprietates, §. 21. uſus hujus doctrinæ, §. 22.*

§. I.

Renovatio eſt complexus actuum ſpiritualium, quos homo juſtificatus, DEO per ver-

verbum & sacramenta gratiose concurrente, viribus spiritualibus sibi collatis, quoad intellectum & voluntatem, ad abolendas peccati reliquias & majorem sanctitatem adquirendam, in via salutis exercet, ad DEI gloriam.

§. II. Renovatio vel transitive accipitur Ps. 51, 12. vel intransitive Colos. 3, 9. 10. Rom. 12, 1.

§. III. Renovatio per synonymiam alias quoque dicitur sanctificatio seu ἁγιασμὸς Rom. 6, 22. 1. Thess. 5, 23.

§. IV. Caussa efficiens principalis est DEUS Trinunus,

α) Pater 1. Thessal. 5, 23.

β) Filius Joan. 15, 5.

γ) Spiritus S. κατ' ἰδιοποίησιν, Tit. 3, 5. Rom. 8, 14. 2. Thessal. 2, 13.

§. V. Homo justificatus ad opus renovationis, tanquam caussa secundaria, subordinata atque a DEO mota, concurrit, ut per acceptas superne vires in dies seipsum renovet, Ezech. 18, 31. Ephes. 4, 24.

§. VI. Ad hominem renovandum interne DEUM impulit misericordia, externe meritum Christi 1. Cor. 1, 30. Eph. 2, 10.

§. VII. Media renovationis ex parte DEI sunt verbum legis & evangelii, item baptismus & sacra cœna Jo. 17, 27. Tit. 3, 5. Jo. 6, 56. 15, 5. ex parte hominum medium est fides, Christianarum virtutum radix & principium; nec non preces, & pœnitentia quotidiana, Psalm 32, 6. 1. Jo. 1, 8. Rom. 12, 2. Adminicula renovationis secundaria sunt adflictiones carnis, tentationes animæ, &c. quæ sunt ex DEI intentione gratiosissima castigationes paternæ 1. Petr. 4, 1. 2.

§. VIII. *Terminus a quo*, qui abolendus est, sunt reliquiæ peccati, quæ post conversionem remanent, nempe & defectus aliquis virium bonarum & pronitas facultatum animæ ad prava, Gal. 5, 17. Rom. 7, 18.

§. IX. *Terminus ad quem*, qui adquirendus est & ad quem renovatio pertingere debet, sunt majores illæ vires spirituales, post conversionem demum adquirendæ, videlicet

α) plenior rerum spiritualium cognitio:

β) sanctitas voluntatis perfectior:

γ) promtius obsequium sensuum, Rom. 12, 2. 13, 12. Eph. 4, 23. 24. Coloss. 3, 10.

§. X.

§. X. Ad abolitionem termini a quo pertinet lucta carnis & Spiritus in regenitis. Galat. 5, 16. 17. 18. Hæc differt a pugna rationis & adpetitus sensitivi. Totam hanc doctrinam accurate explicat beatus *D. Jo. Franc. Buddeus* in *theol. mor.* part. 1. cap. 1. sect. 6. §. 39. seqq.

§. XI. Terminus a quo dicitur alias *vetus homo*, qui non denotat substantiam naturæ, sed conditionem depravationis, nempe veterem vivendi rationem vitiosasque ex antiquo lapsu qualitates. Terminus ad quem vocatur *novus homo*, qui denotat conditionem hominis regeniti, novamque vivendi rationem, qua ad imaginem DEI pristinam integritatemque quodammodo restauratur, Rom. 8, 12, 13. Gal. 5, 24. Hebr. 12, 14.

§. XII. Subjectum QVOD est homo conversus, renatus & justificatus: subjectum QVO primarium est anima quoad suas facultates, secundarium sunt membra corporis, 1. Thess. 5, 23. Rom. 12, 1. 2

§. XIII. *Forma* renovationis duplici actu absolvitur; nempe

a) *actu privativo*, qui consistit in

b) discussione tenebrarum intellectus,

ב) aversione voluntatis a malo & cohibitione ferociæ adpetitus sensitivi,

ג) abstractione membrorum corporis ab usu prohibito.

β) *actu positivo*, qui consistit in

א) uberiori intellectus illuminatione,

ב) emendatione voluntatis adpetitusque sensitivi correctione,

ג) directione membrorum corporis ad usum DEO gratum; adeoque in

ד) divinæ imaginis restauratione, Eph. 4, 24.

§. XIV. Homo renovatus dici potest sanctus,

α) non ex se, sed ex gratia;

β) non tam in se, quam in Christo:

γ) non sanctitate consummata, sed inchoata & continuata. Hinc Philippenses vocantur *Sancti in Christo*, Philip. 1, 1. Conf. Ps. 32, 6.

§. XV. Finis renovationis ultimus ex parte hominum est vita æterna, ex parte DEI gloria divini nominis: intermedius est divinæ imaginis restauratio & *bonorum operum* exercitium.

§. XVI. *Bona opera* sunt actiones justificatorum liberæ, tam internæ quam externæ, divinitus mandatæ & Decalogo comprehensæ, ac fiunt a renatis fide per Spirirum

tum S. ad gloriam DEI, & ad noſtram DEO declarandam tum obedientiam tum gratitudinem.

§. XVII. Opera partim ut finis & effectus ad renovationem ſe habent, partim ad rationem ejus formalem ſpectant: nam renovatio formaliter conſiſtit in actibus bonis, qui viribus gratiæ perficiuntur.

§. XVIII. Forma bonorum operum conſideratur

α) *ratione normæ*, cujus reſpectu ſunt in lege DEI mandata, Deut. 12, 8. 22. Matth. 15, 9.

β) *ratione principii*, cujus reſpectu proficiscuntur ex fide per Spiritum S. Joan. 15, 5. Rom. 14, 23. Gal. 5, 22. Eph. 5, 9. Matth. 7, 17.

γ) *ratione finis*, cujus reſpectu bona intentione patrantur, Matth. 6, 23.

§. XIX. Finis bonorum operum eſt gloria DEI, 2. Cor. 10, 31. ædificatio aliorum 1. Cor. 8, 1. confirmatio noſtri in certitudine fidei 1. Jo. 3, 14. 2. Petr. 1, 10.

§. XX. Adfectiones bonorum operum ſunt,

α) quod ſponte fiunt 1. Tim. 1, 9.

β) quod imperfecta ſunt Gal. 5, 17.

γ) quod ſalvandis neceſſaria ſunt, cum propter DEUM, tum propter nos ipſos, tum propter

proximum, 1. Theſſal. 4, 3. ſeqq. Eph. 4, 1. Gal. 5, 6. conf. beati *D. Jo. Ern. Gerhardi* Conf. Aug. enucleat. pag. 113. ſq. 124. ſeq.

§. XXI. Proprietates renovationis ſunt

α) neceſſitas 2. Petr. 1, 10. Eph. 4, 21. ſeqq.

β) utilitas Rom. 8, 28.

γ) difficultas, ob luctam carnis, Matth. 7, 13, 14.

δ) imperfectio, Philipp. 3, 12.

ε) perpetuitas, 1. Petr. 1, 4. 5.

§. XXII. Quicunque igitur ſcire cupit, an in beato ſanctificationis ſtatu conſtitutus ſit, probe diſpiciat, an virium ſpiritualium incrementum aliquod in ſe deprehendat, Rom. 12, 2. 2. Petr. 3, 18. Eph. 4, 13. 14. Hebr. 5, 12. 13. Et qui noſtram de bonis operibus doctrinam conſiderat, confiteatur neceſſe eſt, Evangelicam de fide juſtificante doctrinam recta via ad veram ac ſinceram perducere pietatem, Galat. 2, 17. Matth. 5, 20. ſqq.

LIBER V.
CAP. VIII.
DE
CONSERVATIONE ET PERSEVERANTIA FIDELIVM.

Σύνοψις.

Conservatio fidelium quid? §. 1. *quis ejus auctor?* §. 2. 3. *quid ea complectitur?* §. 4. 5. *conservandorum officia*, §. 6. *conservationis finis*, §. 7. perseverantia fidelium *quid?* §. 8. *quotuplex?* §. 9. *ejus oppositum*, §. 10. *usus hujus doctrinæ*, §. 11.

§. I.

Conservatio fidelium est actus gratiæ, quo Spiritus S., habitans in hominibus justificatis & renovatis, hos adversus diaboli, mundi & carnis tentationes, quibus ad peccatum & defectionem a DEO sollicitantur, supernaturalibus viribus præmunit, fidemque eorum & sanctitatem vitæ confirmat & auget, ne e statu gratiæ excidant, sed in eodem perseverent & salventur.

§. II.

§. II. Auctor hujus conservationis est DEUS Trinunus, κατ' ἰδιοπότητα Spiritus Sanctus, Philipp. 1, 6. Hebr. 12, 2. Rom. 8, 26.

§. III. Ad hanc conservationem interne DEUM impellit misericordia, externe meritum & interceſſio Chriſti, Luc. 22, 32. Joan. 17, 20. 24.

§. 4. Formaliter fidelium conservatio complectitur, ſecundum plurimorum theologorum ſententiam,

α) *gratiam præmunientem*, ne fideles tentationibus præcipites reddantur, 2. Theſſal. 3, 3.

β) *gratiam confirmantem*, qua per media divinitus ordinata e. g. per perbum DEI & ſacramentum cœnæ, fides pietasque ſtabiliuntur, & adflicti eriguntur, 2. Cor. 1, 21. 22.

γ) *gratiam locupletantem*, qua cognitio rerum divinarum & fides novis ſubinde per Spiritum S. luminibus augentur, Coloſſ. 1, 9. 10. 11.

§. V. Beatus *J. G. Hillingerus* cap. 7. *proceſſus gratiæ* §. 4. ſeqq. eleganter confirmat, conservationem complecti

α) χάριν καταρτίζεσθαι, 1. Petr. 5, 10. conf. Gal. 6, 2.

β) χάριν στηρίζεσθαι, 1. Petr. 5, 10. conf. 1. Theſſ. 3, 12. 13.

γ) χά-

γ) χάριν θεῖναι, 1. Petr. 5, 10. conf. 1. Cor. 1, 21. 22.

δ) χάριν θεμελιῶσαι, 1. Petr. 5, 10. conf. Ephes. 3, 17.

ε) χάριν τελειῶσαι, Philipp. 1, 6. conf. 2. Tim. 4, 18. Alii gratiæ consummanti præponunt χάριν σφραγίζεσθαι sive gratiam obsignantem. Vid. beati *D. Jo. Christoph. Erneſti* richtiger Weg zur Seligkeit, pag. 82. seqq. Conf. *D. Fechtii* aphor. *de ordine modoque gratiæ divinæ* aphor. 14. pag. 36. sqq.

§. VI. Conservandorum officia sunt,

α) mediis ad perseverantiam fidei & sanctitatis, quæ divinitus sunt ordinata, decenter uti:

β) auxilium divinum precibus implorare:

γ) vigilare, cauteque evitare scopulos occasionesque peccandi:

δ) omnibus viribus adversus hostes animæ dimicare:

ε) continuo conatu ad incrementum fidei pietatisque contendere.

§. VII. Conservationis finis ultimus ex parte hominum est æterna salus, proximus est perseverantia usque ad finem vitæ, Matth. 10, 22. Est autem *Perseverantia fidelium* donum DEI, quo fides & sanctitas hominis justificati & renovati conservata permanet.

§. VIII.

§. VIII. Perseverantia est

α) vel *temporaria*, qua solum ad tempus persistunt, Matth. 13, 20. 21.

β) vel *finalis*, Apoc. 2, 10. quæ est vel

א) *continua*, si quis nunquam gratia excidat e. g. *Henochus*, *Noachus*, *Isaacus*, *Joannes baptista*, &c. vel

ב) *interrupta*, quæ interruptionem quidem passa, at subinde resarta, ad finem usque perdurat, e. g. in *Aarone*, *Davide*, *Salomone*, *Hiskia*, *Petro*.

§. IX. Renati æstimantur ex fide præsenti; electi vero ex fide finali. Et renati possunt labi & totaliter & finaliter e. g. rex *Saul*, *Judas Iscariotes*, rex *Joas* 2. Chron. 24. electi possunt labi *totaliter*, non autem *finaliter:* DEI enim præscientia nunquam fallitur. Conf. *Wandalini* expos. *sacr. theol.* pag. 71. 74.

§. X. Oppositum perseverantiæ est lapsus a fide & pietate, qui, si cum morosa delectatione continuetur, ἀποστασία dicitur; quæ vel *dogmatica* est vel *moralis*. 1. Tim. 1, 19. 20.

§. XI. Caute igitur & fideliter iis utamur donis, quæ a DEO accepimus, ne fine excidamus sperato, 1. Cor. 15, 10. Corroborationem & incrementum fidei a DEO impe-

impetrare ſtudeamus Phil. 1, 6. adſiduis precibus 2. Theſſal. 1, 11. Marc. 9, 24. Luc. 17, 5. attenta verbi divini conſideratione, Rom. 10, 17. crebriori eoque digno ad ſacram cœnam acceſſu Jo. 6, 56. Fugiamus ex adverſo impedimenta pietatis. Conf. beati *D. Speneri* Lebens-Pflichten part. 1. cap. 3. & part. 3. cap. 6. 8. 10. 11. 12. 13. prout reverendus *Jo. Jod. Schmidius* laudatum *Speneri* librum in *epitomen* redegit, pag. 128. ſeqq. 365. ſeqq.

LIBER V.
CAP. IX.
DE
GLORIFICATIONE IN FIDE PERSEVERANTIVM; CVI OPPONITVR DAMNATIO ÆTERNA.

Σύνοψις.

Glorificatio, §. 1. ſeqq. æterna beatitudo, §. 7. 8. ſalus animæ, §. 9. ſqq. perfectiones corporum, §. 31. 14. bona beatorum externa, §. 15. damnatio æterna, §. 16. ejus forma, §. 17. 18. ejus cruciatus erunt æterni, §. 19. 20. uſus hujus doctrinæ, §. 21. 22.

§. I.

§. I.

Glorificatio est actus gratiæ, quo DEUS homines justificatos, in fide usque ad finem perseverantes, & ex hac vita egressos, e regno gratiæ in regnum gloriæ transfert, ut æternam beatitudinem obtineant, nomenque divinum sempiternis laudibus concelebrent.

§. II. Caussa efficiens glorificationis est DEVS trinunus, Hebr. 2, 10. 2. Tim. 4, 8. 2. Petr. 4, 14.

§. III. Subjectum glorificationis sunt justificati ad finem vitæ usque perseverantes, Rom. 8, 30. Matth. 10, 22.

§. IV. Caussa impulsiva interna est DEI misericordia, externa Christi meritum, Tit. 3, 5. Rom. 5, 10.

§. V. Media δοτικὰ sunt verbum & sacramenta; medium ληπτικὸν est fides: sed media *exsecutiva* & in gloriam *introducentia* sunt mors, resurrectio mortuorum, judicium novissimum & consummatio sæculi.

§. VI. Finis glorificationis ex parte DEI est laus gratiæ divinæ, ex parte glorificandorum æterna beatitudo, Apoc. 7, 11. 12. 1. Petr. 1, 9.

§. VII.

§. VII. *Æterna beatitudo* est felicissimus iste status, quo DEUS ex mera gratia, propter Christi meritum fide finali adprehensum, finaliter credentes, in sua communione bonorumque angelorum consortio, quoad animam & corpus, ineffabili & æterna voluptate ac gloria beabit.

§. VIII. Primario anima, secundario corpus, æterna potitur beatitudine, ita, ut intellectus perfecte illustretur, ut voluntas consummatam habeat ἐυταξίαν, utque corpus ornetur dotibus spiritualibus, Jac. I, 21. 1. Cor. 15, 43. Phil. 3, 21.

§. IX. Salus animarum *formaliter* consistit in *visione & fruitione DEI beatifica*, quam comitabitur amor DEI, gaudium cumulatissimum, & sanctitas vitæ perfecta. Unde elucet, *essentialiter* differre beatitudinem hujus & futuræ vitæ; id quod copiose & solide demonstravit beatus Theologus Ohrdruffiensis, *J. A. Kromayerus*, in *Comment. in Aug. Conf.* p. m. 542. sqq.

§. X. *Visio DEI beatifica* est actus intellectus, lumine gloriæ collustrati, quo is DEUM clare & immediate, uti in se est, cognoscit. Intuitiva hæc cognitio est qui-

dem perfecta, non autem comprehensiva: nam beati cognoscent quidem totam DEI essentiam, non autem totaliter, sed modo finitæ naturæ suæ convenienti, Matth. 5, 8. 1. Joan. 3, 1. 1. Cor. 13, 12. (*) Admirandum S. S. Trinitatis mysterium patefiet, & mysterium Christi ἐπιφανείᾳ patebit, 1. Joann. 3, 2. & præter ea cum angelorum tum beatorum chori jucundissimo spectaculo delectabuntur. Cognitio DEI in vita æterna dicitur *theologia comprehensorum* Phil. 3, 12. coll. Psalm. 17, 15. De discrimine inter theologiam *viatorum*, & *comprehensorum*, videantur dicta eximia 1. Cor. 13, 9-13. 1. Joan. 3, 1. 2.

§. XI. Non prætereunda est hoc loco quæstio: *an etiam beati oculis corporeis DEUM sint visuri?* Eos sic DEUM visuros esse, non quidem apodictice verum, attamen probabile plurimis videtur, e. g. *D. Martino Frisio* in *Theol. Thet.* p. 251. sq. & *D. Jo. Casp. Haferungio* in *Coll. Thet.* p. 199. sq. item-

(*) Beati homines in vita æterna sunt & permanent creaturæ finitæ, DEUS vero est & permanet immensus & infinitus. In infinitum igitur recens subinde abyssus divinitatis beatis sese aperiet. Vid. celeb. *D. Reinbeckii* lib. cit. tom. 1. p. 105.

itemque *D. Abrah. Calovio* & *D. Jo. Deutschmanno.* Nam oculi beatorum corporei in futura vita erunt spirituales, non quidem ratione substantiæ sed ratione qualitatum 1. Cor. 15, 22. 44. Deinde si DEO possibile est, intellectum finitum lumine gloriæ ita elevare, ut intuitive cognoscat infinitam DEI essentiam, possibile etiam erit, oculos corporis elevare ad ipsum videndum, Job. 19, 27. Accedit locus Scripturæ vere illustris Act. 7, 55. In alia omnia abeunt beati viri, *Albertus Grauerus, Henricus Müllerus, Joachimus Hildebrandus, Fridemannus Bechmannus*, & summe reverendus *D. Christ. Aug. Heumannus*, qui DEUM nos visuros esse internis mentis oculis contendunt, statuentes, DEUM non posse materiæ superaddere, quod proprietatibus ipsius essentialibus repugnat, cum id contradictionem involvat. Conf. *Act. Erudit. Lipsc.* ann. MDCCXIV. mens. Febr. pag. 108. sqq. Cui argumento addi possunt dicta 1. Cor. 13, 12. 1. Joan. 3, 2. 1. Tim. 6, 10. Matth. 5, 8. *Jo. Conr. Dannhauerus, Jo. Gerhardus, Godofredus Cundisius*, itemque *Jo. Frid. Kœnigius*, non minus clari viri, rem omnem in medio relinquunt.

§. XII. *Fruitio DEI* est actus voluntatis, quo beati, in patria cœlesti DEUM, summum bonum, complectuntur & percipiunt, eodemque pleniſſime satiantur, Psalm. 17, 15. quam fruitionem nexu indivulso comitabantur

α) amor DEI ardentiſſimus, Pſ. 16, 11.

β) gaudium cumulatiſſimum, Matth. 25, 23.

γ) sempiterna DEI celebratio, Apoc. 4, 8.

δ) ἀναμαρτησία & constantiſſima sanctitas, Apoc. 19, 8. 14.

Bona *privativa* consistent in absentia malorum & imperfectionum omnium; *positiva* erunt & in anima & in corpore. Vid. m. Rel. Pred. p. 503. sq.

§ XIII. Perfectiones corporum glorificatorum erunt

α) *spiritualitas*, non ratione substantiæ: nam non mutabuntur in spiritus; sed ratione qualitatum, quia operationibus spiritualibus vacabunt, & movebuntur Spiritu DEI, anima luce spirituali repleta, & cœlestibus atque isangelicis functionibus inserviente, 1. Cor. 15, 44. Vide *D. Ewaldi* Vorbothen der Ewigkeit p. 149.

β) *claritas*. conf. Matth. 17, 2. 12. 13, 43. coll. Phil. 3, 21. Dan. 12, 3. Luc. 9, 29. 30.

γ) *mo-*

γ) *motus celeritas*, Apoc. 4, 11. Luc. 2, 15. &

δ) incorruptibilitas, 1. Cor. 15, 42. 43. Apoc. 7, 16. Conf. *D. Langii* Apoſtoliſches Licht und Recht, part. I. pag 331. & celeb. *Jo. Chriſtoph. Wolffii* not. crit. in *IV. priores Pauli epiſt.* pag. 549. ſeqq.

ε) puritas cum pulchritudine conjuncta. Apoc. 21, 4. Rom. 7, 24.

ζ) robur præſtantiſſimum cum inſigni gloria conjunctum. 1. Cor. 15, 42. ſqq. 6, 13. Conf. meine Rel. Pred. p. 471. ſq.

§. XIV. Quemadmodum totus homo imagine DEI perfectiſſime reſtaurata in æterna beatitudine exſplendeſcet: ita eadem beatitudo eſſentialis erit æqualis; licet præmia beatitudinis acceſſoria diverſos admiſſura ſint gradus, Dan. 12, 3. Matth. 10, 41. 42. 1. Cor. 15, 41. 42. 2. Cor. 9, 6. Gal. 6, 8. Hebr. 6, 10. Conf. beati *D. Jo. Ern. Gerh.* l. cit. pag. 121. nec non beati *D. Dannhaueri* diſſert. *de diverſis gradibus gloriæ*, itemque doctiſſimi *Adami Lebr. Mülleri* Gedancken von den Stuffen der Seligkeit. Tribuet vero DEUS dicta præmia acceſſoria, non *propter*, ſed *ſecundum* bona opera Rom. 2, 6. 2. Cor. 9, 6. Apoc. 7, 13. 21, 14. Vid. S. R. *D. Walchii* diſſ. *de diverſis vitæ ſanctæ gradibus.*

§. XV. Bona beatorum externa erunt dulciſſima ſocietas, Philipp. 1, 23. Apoc. 5, 9. 11. Luc. 20, 36. & amœniſſima habitatio Apoc. 21, 10. licet, ubi præciſe ſit beatorum ſedes, in hac vita nobis lateat. Vid. *b. D. Sam. Schelwigii* diſſ. *de lingua beatorum*. Cognoſcent ſe mutuo beati in vita æterna; uti adparet ex Matth. 17, 3. Luc. 13, 28. 24, 31. & Geneſ. 2, 23. id quod eleganter comprobat beatus *D. Leonhard. Hutterus* in *comp. theol.* loc. 34. qu. 4. 5. in primis ad ſummi gaudii complementum pertinebit cognitio magnorum virorum DEI, prophetarum, martyrum, ac piorum majorum. Conferantur dicta Matth. 8, 11. Hebr. 12, 22. 23. 24. & meine Rel. Pred. p. 499.

§. XVI. Glorificationi & beatitudini æternæ opponitur *damnatio æterna*, quæ eſt complexus plurium malorum, quæ DEUS judex juſtiſſimus finaliter impœnitentibus & incredulis, anima & corpore in perpetuum toleranda, infliget, ad juſtitiæ, veracitatis & potentiæ divinæ gloriam. Impœnitentes & infideles hujus *damnationis* jam in hac vita *præguſtum* habere, ex ſacris conſtat litteris. Vid. *b. D. Baieri* tract. *de præguſtu damnationis æternæ*.

§. XVII.

§. XVII. Forma æternæ damnationis est perceptio malorum damnatis destinatorum, posita

α) in *pœna damni*, seu privatione gloriæ, cum desperatione conjuncta, Joann. 3, 36. Zach. 9, 11. Jes. 66, 24. Matth. 8, 12. 25, 41. Joan. 13, 8. 2. Thessal. 1, 9.

β) in *pœna sensus* exquisitissima, ratione animæ & corporis. Nam

1) *intellectus* cognoscet DEUM justissimum peccatorum vindicem, 2. Thess. 1, 9. & in perpetua versabitur cæcitate Judæ v. 13. Prov. 20, 20.

2) *voluntas* angorem sentiet ex DEI odio & ex summa cum tristitia tum impatientia, Jes. 66, 24. & versabitur in summa desperatione Matth. 22, 13. Jes. 33, 14. Ps. 69, 28. 29.

3) *corpus* cruciabitur igni prorsus singulari, Matth. 25, 41. Apoc. 14, 10. Conf. beati *D. Christoph. Sonntagii* differt. *de igne inferni*, & celeb. *W. E. Ewaldi* Betracht. von Himmel und Hölle p. m. 966. seqq. & 927. seqq. Immo corpora erunt incorruptibilia, squalida, & pessimorum irritamentorum plena, & ad infligendos summos cruciatus idonea. Vid. *b. D. Jo. Fechtii* lib. *de statu damnatorum*, & meine Nachgel. Pred. p. 514. sq.

§. XVIII. Externa mala, quæ damnatos torquebunt, ſunt

α) deteſtabile cum diabolis conſortium, Matth. 25, 41.

β) domicilium ſqualidiſſimum, infernus, Luc. 16. 28. Apoc. 19, 20. 21, 5. 8. licet ignoremus, ubi definite ſit infernus. Non quæramus igitur curioſe, ubi ſit infernus, ſed eum effugere ſtudeamus. Conf. *Ewaldi* l. c. p. 97. 61

§. XIX. Erunt autem cruciatus damnatorum æterni, & nullum habebunt finem. Id quod probamus

α) ex clariſſimis ſacræ ſcripturæ dictis, Jeſ. 66, 24. Dan. 12, 2. Matth. 25, 46. Jo. 5, 19. 2. Theſſal. 1, 6. 7. 8. 9. 2, 4. ſeqq.

β) rationibus evidentiſſimis. Nam

1) peccata, licet temporalia, committuntur contra infinitum bonum, DEUM; cujus juſtitia læſa eſt infinita:

2) reprobi meritum Chriſti, quod eſt *infiniti valoris & pretii*, contumaci incredulitate repudiant:

3) ἀδυναμία reſipiſcendi in inferno gignit etiam ἀδυναμίαν conſequendæ veniæ: erit enim in damnatis cæcitas intellectus perpetua, durities voluntatis perennis, & angor conſcientiæ cum furore & deſperatione conjunctus;

4) mul-

4) multa præterea alia sunt argumenta gravissima, quæ conjunctim exhibui in libello meo, qui inscribitur: Beweiß von der Ewigkeit der Höllen-Straffen.

Quæ recentissimis temporibus *Ludovicus Gerhardus*, infaustus ille misericordiæ præco, de fine cruciatuum infernalium protulit; solide confutata sunt a beato *D. Buddeo* in diss. *de pœna damnatorum nunquam finienda*, & a clarissimo *Erdm. Neumeistero* in refutatione scripti Gerhardiani. Conf. summe venerabilis *D. Moshemii* Gedancken von der Ewigkeit der Höllen-Straffen, & meine Rel. Pred. p. 512. sq.

§. XX. De reliquo fore, ut pœnæ infernales differant gradibus, pro peccatorum qualitate & mensura, tuto colligimus ex Matth. 11, 24. 10, 15. Luc. 12, 47. 10, 14. Conf. beati *D. Calovii* apodixis artic. fidei pag. 464. seqq. & S. R. *D. Baumgartenii* dissert. *de gradibus peccatorum*.

§. XXI. Glorificationis & vitæ æternæ bona ineffabilia incitare nos possunt ad pietatem evangelio dignam. Fugiamus igitur opera carnis Gal. 5, 21. studeamus saluti nostræ Philip. 2, 12. firmemus vocationem

& electionem nostram 2. Petr. 1, 10. demus operam, ut in cœlestem contendamus patriam Philipp. 3, 12. 13. 14. Luc. 13, 24.

§. XXII. Inenarrabiles autem æternæ damnationis cruciatus deterrere nos debent ab omni peccato. Memoria ignis infernalis exstinguat vitiorum ardorem libidinumque flammas, ut mala futura effugiamus.

LIBER VI.
DE
MEDIIS SALVTIS.

SECT. I.
DE
MEDIIS SALVTIS EXHIBITIVIS, SEV SALVTEM EXHIBENTIBVS.
CAP. I.
DE LEGE.

Σύνοψις.

Verbum DEI dividitur in legem & evangelium, §. 1, 2. legis divisio, §. 3. seqq. legis

gis moralis summa, §. 7. 8. ejus usus, §. 9. ejus ab evangelio differentia, §. 10. & cum evangelio convenientia, §. 11.

§. I.

Verbum DEI est medium salutis efficacissimum, cujus divina efficacia salutares producit effectus, quia Spiritus Sancti operatio intime conjuncta est cum ipso verbo divino, 1. Cor. 2, 4. 13. Joan 6, 36. 2. Tim. 2, 14. 2. Petr. 1, 19. Jer. 23, 29. 1. Petr. 1, 23. 2. Cor. 3, 9. Joan. 17, 17. Psalm. 119, 11. Jer. 1, 21.

§. II. Dividitur autem verbum DEI in legem & evangelium, Matth. 22, 34 -- fin. Joan. 1, 17. 2. Cor. 3, 6. 7. Lex denotat verbum DEI, quo facienda præcipiuntur, omittenda vetantur, cum vi obligandi; qua de re legis præcepta in adfirmativa & negativa commode distinguuntur, Rom. 3, 27. Obligatio tendit ad obsequium; hoc autem deficiente ad pœnas.

§. III. Lex divina vulgo dividitur in

*) *cærimonialem*, quæ erat constitutio ecclesiastica de cultu Levitico gentis Judaicæ, qua & Hebræus populus ab aliis gentibus distinctus, & Christus cum beneficiis suis adumbratus est, Hebr. 10, 1. Jerem. 31, 31. coll.

coll. Hebr. 8, 13. 10, 14. Gal. 5, 6. Coloss. 2, 16. Typicam & temporariam ejus fuisse formam, præter expressa oracula prophetica (e. g. Ezech. 11, 19. 34, 23. seqq.) evincit cum indoles cultus Levitici egena, tum restrictio illius ad unicam tantum gentem.

β) *forensem*, quæ erat constitutio politica, judiciorum forensium, & externæ disciplinæ, in populo Judaico conservandæ, modum præscribens, Exod. 21, 22. 23. Ad præcepta decalogi eam reduci posse, commonstrat celeb. *D. Langius* in *hist. eccles. V. T.* pag. m. 175. 176. Abrogata hæc est sublata republica Judaica.

γ) & *moralem*, de qua h. l. exponitur.

§. IV. Lex moralis est perfectissima vivendi regula, in prima creatione naturæ hominis indita, & repetita per promulgationem solemnem in monte Sinai, omnes omnino homines in perpetuum obligans ad obedientiam perfectissimam, vel hac deficiente ad pœnas exquisitissimas.

§. V. Auctor legis moralis Sinaiticæ est DEUS trinunus, Exod. 20, 1. κατ' ἰδιοποίησιν filius DEI Act. 7, 38. qui & aliquando legis erit executor Matth. 25, 31. Cumque lex moralis sit ἔκτυπον æternæ illius, quæ in DEO est,

est, justitiæ & sanctitatis; non potest non esse perfectissima vivendi regula.

§. VI. Licet lex moralis per lapsum protoplastorum valde oblitterata fuerit; remanserunt tamen in hominum mentibus universalia ejusdem principia. Solemni igitur ritu promulgata est in monte Sinai, ut eidem major adderetur auctoritas, claritas atque perfectio: in qua promulgatione DEUS ministris usus est angelis Deut. 33, 2. Act. 7, 53. Galat. 3, 19. & *Mose* Joan. 1, 17.

§. VII. Summa totius legis moralis ad amorem DEI, proximi, & nostri ipsorum redit, Deut. 6, 5. Lev. 19, 18. Matth. 22, 37. seqq. Luc. 10, 27. Rom. 13, 10.

§. VIII. Lex moralis habens & vim directivam Deut. 12, 32. 13, 1. & vim obligativam Exod. 20, 5. postulat obedientiam *perfectam*,

α) perfectione *graduum* Deut. 6, 5.

β) perfectione *partium*, Jac. 2, 10.

γ) perfectione *perseverantiæ*, Gal. 3, 10.

§. IX. Lex moralis est perpetuæ obligationis, Rom. 2, 14. 15 Jac. 2, 21. 22. Matth. 5, 18. 19. Rom. 3, 31. &, propter convenientiam

tiam cum natura DEI & hominis, singularis dignitatis: & licet nullus renatus eam perfecte implere queat Rom. 8, 3. 7, 14. 10, 14. tamen quadruplicem habet usum, nempe

α) *politicum:* nam externam conservat disciplinam.

β) *elenchticum:* nam manifestat & redarguit peccata, Rom. 3, 20. 7, 7. 1. Tim. 1, 9.

γ) *didacticum:* nam dirigit actiones renatorum, Matth. 5, 17. Rom. 13, 9. 10. 1. Tim. 1, 5.

δ) *pædagogicum:* nam ducit & compellit ad Christum, Gal. 3, 24. Rom. 4, 15. coll. Levit. 18, 5. Ezech. 20, 11.

§. X. Vsus legis pædagogicus deducit ad formalem evangelii a lege differentiam. Namque

α) lex postulat, evangelium donat:

β) lex terret, evangelium solatur:

γ) lex accusat & damnat, evangelium absolvit & in tutelam recipit:

δ) lex adfert peccatorum agnitionem, evangelium adnuntiat eorum remissionem:

ε) lex mandat evangelium invitat:

ζ) lex est concio sanctitatis, evangelium concio gratiæ:

η) lex natura nota est Rom. 2, 15. evangelium est mysterium rationi absconditum Rom. 16, 25.

ϑ) lex

δ) lex est doctrina operum Rom. 3, 27. evangelium est doctrina fidei, Rom. 3, 27.

ε) legis promissiones sunt compensatoriæ Levit. 18, 5. Luc. 10, 28. Rom. 10, 5. evangelii promissiones sunt gratuitæ Gal. 3, 22. Rom. 10, 9. 10.

ς) lex proponenda est peccatoribus contumacibus, evangelium contritis, 2. Cor. 3, 6. Rom. 6, 14. Gal. 5, 23.

§. XI. Conveniunt tamen lex & evangelium,

α) *quoad auctorem:* nam DEUS non minus est auctor legis, quam evangelii.

β) *quoad subjectum:* nam sicut lex omnes obligat homines, ita evangelium omnibus hominibus proponit Christi satisfactionem.

γ) *quoad durationem:* nam lex est norma perpetua cum faciendorum tum omittendorum, & evangelium usque ad mundi finem adnuntiandum est Matth. 28, 20.

LIBER

LIBER VI.

SECT. I.

CAP. II.

DE EVANGELIO.

Συνοψις.

Evangelii definitio, §. 1. causſa efficiens principalis, §. 2. miniſterialis, §. 3. efficacia, §. 4. ſublimitas, §. 5. finis, §. 6. duplex œconomia, §. 7. uſus, §. 8.

§. I.

Evangelium eſt manifeſtatio gratuitæ & gratioſæ voluntatis DEI de beatitudine in Chriſto, qua hominibus beneficia per mediatorem parta offeruntur, non pertinaciter reluctantibus donantur, & bona aliquando ſperanda clariſſime deteguntur, 1. Cor. 1, 6. 7. 13. Rom. 1, 16. Hebr. 11, 10.

§. II. Cauſſa efficiens principalis evangelii, cum ratione decreti tum ratione manifeſtationis, eſt tota S. S. Trinitas Eph. 3, 9. 2. Cor. 13, 13. *Pater* Act. 10, 43. Hebr. 1, 1. *Filius* Joan. 1, 17. 18. & *Spiritus Sanctus* Eph. 3, 5.

§. III.

§. III. Causſa miniſterialis evangelii, qui promiſſionem illam paradiſiacam, Gen. 3, 15. repetitam explanarunt in veteri fœdere, (in quo cum per vaticinia tum per typos concio gratiæ propoſita eſt) fuerunt *Moſes* & *Prophetæ* omnes ac ſinguli Joan. 5, 46. Act. 10, 43. Conf. celeberr. *D. Carpzovii* introd. in *libros canonicos V. T.* In novo fœdere fuerunt evangeliſtæ & apoſtoli 1. Joan. 4, 14. Act. 13, 32. 33. Immo & angelis voluptati fuit adnuntiare hominibus evangelium Luc. 1, 26. 2, 10. 24, 4.

§. IV. Evangelium, una cum beneficiis ſuis, acceptatur per fidem Marc. 1, 14. 15. Rom. 1, 16. Act. 15, 11. quam & id ipſum accendit Jo. 17, 20. Rom. 10, 17. Galat. 3, 2. eamque conſervat & auget, ut oblatorum bonorum ſpiritualium & æternorum fieri poſſit particeps, 1. Cor. 1, 23. 24. Jo. 6, 68. 2. Cor. 5, 18. Marc. 1, 14.

§. V. Tanta eſt autem evangelii ſublimitas, ut rationem humanam quam longiſſime transſcendat, Philipp. 4, 7. coll. 1. Petr. 1, 12. Ea vero, quæ in evangelio revelata ſunt, tantæ ſana ratio deprehendit eſſe ſapientiæ, ut iſta admirari ſatis nequeat; cum

temperamentum justitiæ & misericordiæ divinæ, ratione DEO dignissima, in negotio salutis humanæ suspiciat.

§. VI. Finis evangelii *ultimus* ex parte DEI est gloria misericordiæ, sapientiæ & veracitatis divinæ, Eph. 3, 10. ex parte hominum vita æterna 1. Cor. 1, 6. 7. 21. *intermedius* vero est justitia fidei Rom. 1, 17. 4, 6.

§. VII. Evangelium in duplici œconomia propositum est. In novo testamento major est evangelii claritas pariter atque perspicuitas: cultus Leviticus est abrogatus, cum Messias adparuerit: sigilla testamentaria sunt præstantiora: & novi fœderis œconomia est immutabilis. Conf. clarissimi *Adolphi Friderici Meyeri* Predigt von den göttlichen Testamenten.

§. VIII. Felix ille dicendus est, qui & lege & evangelio recte utitur, ita ut lex ei manifestet DEI sanctitatem 1. Petr. 1, 15. 16. corruptionem humanæ naturæ Rom. 3, 19. necessitatem gratiæ Christi & fidei Rom. 4, 14. 15. 16. nec non officia sanctæ vitæ Mich. 6, 8. Luc. 1, 6. utque ex adverso evange-

linm

lium cum fidem salvificam tum vires pie vivendi largiatur I. Joan. 5, 13. 2. Petr. 1, 3. seqq.

LIBER VI.
SECT. I.
CAPVT III.
DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET DE SACRAMENTIS V. T. IN SPECIE.

Σύνοψις.

Sacramentum, §. 1. 2. *ejus requisita*, §. 3. *auctor*, §. 4. *dispensator*, §. 5. *circumcisio*, §. 6. *sqq. agnus paschalis*, §. 11. 12. *discrimen sacramentorum V. & N. T.* §. 13.

§. I.

Vox *sacramenti* est ecclesiastica, cum de actionibus divinitus institutis & ritibus sacris, qui sunt signa, & media sive organa, conferendæ & obsignandæ gratiæ, accipitur, Vid. *b. D. Baieri* comp. theol. part. 3. cap. 8. §. 2. & celeb. *D. Godofr. Hofmanni* Theol. pur. Dogmat. p. m. 824. sq. Sunt *sigilla*

evangelii: & *extra usum* nullum est sacramentum. Vid. *b. D. Gerhardi* Loc. Theol. *Loc. de sacram.* §. 24.

§. II. *Sacramentum*, specialissime acceptum, *est actio sacra & solemnis divinitus instituta, qua DEUS, interveniente hominis ministerio, per externum & visibile elementum, cum verbo institutionis conjunctum, rem cælestem singulis utentibus exhibet, ut offerat omnibus hominibus, & conferat credentibus atque obsignet gratiam Evangelicam.*

§. III. Requiritur ergo ad sacramentum proprie & stricte sic dictum,

α) ut sit actio a DEO mandata: qui enim beatitudinem operatur, is etiam solus media salutis potest ordinare;

β) ut habeat elementum externum & visibile divinitus præscriptum,

γ) ut habeat promissionem gratiæ evangelicæ.

§. IV. Is, qui sacramenta instituit, est solus DEUS trinunus, Gen. 17, 10. Exod. 12, 3. Jo. 1, 33. 1. Cor. 11, 23. & Christus in adsumta carne, respectu sacramentorum novi fœderis Matth. 26, 26. 28, 19. Nimirum DEUS, infirmitatem nostram respiciens, etiam externis signis, & visibilibus di-

divini favoris pignoribus, confirmare voluit, quæ de salute nostra in verbo evangelii docentur. *Virtus*, inquit b. D. Jægerus, *& efficacia gratiæ fortius per sacramenta adplicatur animabus nostris: verbum enim indifferenter proponitur, sacramenta autem sigillatim adplicantur.*

§. V. Jus dispensandi sacramenta DEUS concredidit ecclesiæ, quæ exercitium ejusdem commendavit ministris ecclesiæ 1. Cor. 4, 1. In casu necessitatis dispensat ea etiam alia persona jure Exod. 4, 25. De reliquo sacramentorum efficacia etiam ad remissionem futurorum peccatorum sese extendit. Rom. 11, 21. Act. 3, 19.

§. VI. Duo erant in V. T. sacramenta, circumcisio & agnus paschalis. *Circumcisio* erat amputatio præputii cujusvis masculi Judæi, aut domestici Judæorum, a DEO mandata & cum promissione gratiæ conjuncta, Christum ex hoc populo nasciturum repræsentans, & per fidem in illum adoptionem conferens, Deique gratiam fœderalem obsignans.

§. VII. Aderat in hoc sacramento

*) verbum mandati Gen. 17, 7. seqq. conf. Exod. 4, 24. seqq. Jos. 5, 9.

β) ver-

e) verbum promissionis Gen. 17, 7. 8. seqq. conf. Rom. 4, 9. 11. 1. Sam. 14, 7. 17. 26.

§. VIII. Res hujus sacramenti terrestris & visibilis erat sanguis in circumcisione effusus; res cœlestis & invisibilis erat futura benedictio in benedicto semine mulieris. Effectus erat regeneratio, quæ per hunc ipsum actum hominibus obtingebat; qua de re regeneratio & conversio sæpe *circumcisio cordis* dicitur Deut. 10, 16. Jerem. 4, 4. Act. 7, 51. Rom. 2, 29. Coloss. 2, 11. sqq.

§. IX. Gratia adoptionis in circumcisione infantibus conferebatur, adultis vero obsignabatur. conf. Jerem. 31, 33. 34. Hebr. 8, 10. seqq. Eph. 2, 12.

§. X. Simul autem repræsentabatur cum labes originalis redemtorisque necessitas, tum effusio sanguinis ejus, qui morte piaculari genus humanum redemturus erat, tum circumcisio spiritualis sive regeneratio & renovatio. Conf. Ezech. 44, 7. 9. & adde celeb. *Jo. Frid. Starckii* in *Ezechielem* commentarium.

§. XI. *Agnus paschalis* erat secundum V. T. sacramentum, quo DEUS per agnum typicum, mactatum, assatum & a circumcisis

sis comestum, sanguine ejus ad forium postes & superliminare sparso, sub figura liberationis ex Ægypto redemtionem Messiæ spiritualem repræsentavit, ut fides in eum confirmaretur.

§. XII. Aderat in hoc sacramento & verbum mandati Exod. 12, 3. seqq. Num. 9, 1. sqq. & verbum promissionis Exod. 12, 13. seqq. conf. 1. Cor. 5, 7. Hebr. 11, 27. Res terrestris erat agnus mactatus & assatus, a circumcisis comedendus Exod. 12, 26. 27. 48. 49. res cœlestis erat Messiæ meritum, comedentibus fide adplicandum, Hebr. 11, 27. 1. Cor. 10, 3. conf. Jo. 1, 29 1. Petr. 1, 18. 19. Apoc. 13, 8. Jes. 53, 7. Vid. celeberrimi *D. Langii* œcon. sal. evang. p. 269. sqq. & *academiæ Jenensis* programma *paschale* in 1. Cor. 5, 7. anno 1731. publicatum.

§. XIII. Sacramenta V. & N. T. *conveniunt*, quoad fructum & efficaciam & finem principalem; in substantia autem *differunt*, ut umbra & corpus. In *illis* enim *unio* tantum σχετικὴ sive *relativa*, in *his* vero μεταδοτικὴ seu *exhibitiva* locum habet.

LIBER VI.
SECT. I.
CAPVT IV.
DE
SACRAMENTIS N. T. SPECIATIM DE BAPTISMO.

Σύνοψις.

N. T. Sacramenta quot? §. 1. baptismus, §. 2. ejus causſa efficiens, §. 3. 4. res terrestris & cœlestis, §. 5. 6. forma, §. 7. ſubjectum, §. 8. neceſſitas, §. 9. finis. §. 10. uſus, §. 18. repetitio neganda §. 12.

§. I.

Duo ſunt novi teſtamenti ſacramenta proprie ſic dicta, nimirum baptiſmus & ſacra cœna 1. Jo. 5, 6. 8. Jo. 19, 34. Si enim, præter verbum, tantum duo ſunt in N. T. teſtes gratiæ divinæ & ſalutis noſtræ in terra, nimirum *aqua & ſanguis:* immo ſi duobus tantum ſacramentis indigemus, nempe ſacramento *initiationis* & ſacramento *confirmationis;* plura non ſtatuenda ſunt N. T. ſacramenta. Si præterea duorum tantum materia e latere Chriſti in cruce pendentis fluxit,

fluxit, & si tantum duo N. T. sacramenta (uti ex 1. Cor. 10, 1. 2. 3. adparet) in V. T. sunt præsignificata; plura duobus non sunt admittenda. Pontificiorum, septem sacramenta statuentium, opinionem refellit beatus *Hollazius* lib. cit. part. 3. p. 547. conf. beati *D. Jo. Gerhardi* Confessio Catholica, & beati *D. Sam. Schelwigii* Prüfung des Pabstthums, p. 122. seqq.

§. II. *Baptismus* est *ritus divinitus ordinatus, quo DEUS per immersionem in aquam, aut aquæ adspersionem, in nomen Patris, Filii & Spiritus S. factam, hominem vivum & natum, sic visibili ecclesiæ Christianæ initiatum, efficaci fidei accensione, aut confirmatione & obsignatione, in fœdus gratiæ recipit.* Unde adparet, magnum esse regenerationis per aquam mysterium: ista enim omnia, quæ baptismus secum adportat, omnem humanam cogitationem superant. Namque eo momento, quo aqua adsperſi sumus, sanguine Christi nos adspersos & a peccatis ablutos esse manifestum est ex Rom. 6, 3. Hebr. 10, 22.

§. III. Caussa efficiens principalis est DEUS Trinunus, & Christus θεάνθρωπος; id quod elucet

α) ex mandato divino Luc. 3, 1 - 18. 20, 4. seqq. Jo. 1, 33. 3, 26. 27.

β) ex praxi discipulorum Christi, Jo. 3, 22. 23. 4, 1. 2.

γ) ex sanctione Christi repetita & ad omnes gentes extensa, Matth. 28, 18. 19. 20. Marc. 16, 15 - 20. Qui baptismo originem Judaicam tribuunt, solide refutati sunt a *b. D. Gottl. Wernsdorfio* in *recent. de bapt. controversiis* §. 3. sqq & §. 21. sqq. Conf. meine Relig. Pred. 565. sqq. Refutarunt eos quoque *D. Zeltnerus* & *D. Joach. Langius.*

§. IV. Causa efficiens minus principalis ordinaria est minister ecclesiæ, Matth. 28, 29. extraordinaria laicus aut femina, Exod. 4, 24. 25. coll. Coloss. 2, 11. 1. Maccab. 1, 36. 2. Maccab. 6, 10. conf. Act. 18, 26. Rom. 16, 3. Ideoque ab ipso fere ecclesiæ Christianæ exordio in periculo mortis laici baptizarunt, uti ex *Ambrosii, Tertulliani* & *Hieronymi* testimoniis elucet. Vid. *b.* D. *J. E. Gerhardi Conf. Aug. enucl.* p. 219. sq. & celeb. D. *Pfaffii* orig. *jur. eccl.* p. 142. Addantur meine Relig. Pr. p. 591. sq.

§. V. Res elementi externa sive terrena est aqua vera & naturalis, cujus qualitas libertati ecclesiæ est relicta, Matth. 3, 11. Jo. 3, 5. Eph.

Eph. 5, 26. Act. 8, 36. 10, 47. Vide rever. *Meyeri* lib. cit. p. 370. *Aquam* vero DEUS constituit *elementum visibile* baptismi,

α) ad implendos typos purificationis Leviticæ,

β) quia aquam habemus fere in omni loco & omni tempore,

γ) propter Genes. 1, 3. & Marc. 1, 9.

Videantur meine Religions-Predigten p. 571. 572.

§. VI. Res cœlestis est gratia DEI fœderalis in morte piaculari & merito Christi fundata & per Spiritum S. adplicata, Rom. 6, 3. Gal. 3, 27. Jo. 3, 5. Tit. 3, 5. 6. Controversiam *de materia cœlesti baptismi* solide enarrat beat. *D. Baierus* in *comp. theol.* p. m. 670. seqq. Conf. beati *D. Sal. Glassii* Bedencken über die unter den Sächsischen und Helmstädtischen Theologen entstandene Strittigkeiten pag. 167. seq.

§. VII. Forma baptismi consistit in immersione aut adsperſione aquæ, cum repetitione verborum institutionis conjuncta, sive simplici sive triplici. Huic formæ subest unio sacramentalis elementi externi & rei cœlestis: nam verbum institutionis & mandatum habet & promissionem. Conf. celeb.

celeb. *D. Zeltneri* syn. *log. Piet.* pag. 281. seq. ejusdemque differt. eruditissimam *de largior. aquæ adsperf. in bapt. adhibenda*; nec non meine Rel. Pred. p. 577. sq. De usu orationis dominicæ in administrando sacri baptismatis sacramento apud veteres Christianos differit celeb. *D. Walchius* in dissert. *de usu orat. Dom.* §. 6.

§ VIII. Subjectum baptismi sive *baptizandi* sunt

α) *adulti*, extra ecclesiam nati & ei inserendi, prævia institutione & confessione fidei Luc. 3, 7. 8. Act. 8, 12. seqq. 9, 17. seqq. 10, 47. 48. 18, 8.

β) *infantes* intra ecclesiam nati aut in libera Christianorum potestate existentes; quod probatur

א) ex emphasi verborum Christi Matth. 28, 19. Joan. 3, 5.

ב) ex successione baptismi in locum circumcisionis Col. 2, 11. 12.

ג) ex praxi Apostolorum Act. 16, 25. 33. 18, 8. 1. Cor. 1, 16.

ד) ex praxi priorum sæculorum & disputatione Augustini adversus Pelagianos.

ה) ex fide infantum. Vid. meine Rel. Pred. p. 584. sqq.

ו) ex

ν) ex praxi sæculorum omnium: nam celeb. Anglus, *Wilhelmus Wallius*, in *historia pædobaptismi* Londini 1707. edita, copiose demonstravit, ante sæc. XI. & XII. nimirum ante tempora Bogomilorum, neminem eundem impugnasse.

Conf. commentatio mea de *pædobaptismo*, Germanico sermone Jenæ 1731. edita, & 1741. recusa.

§. IX. Necessitas baptismi comprobatur liquido,

α) ex Christi eum instituentis majestate.

β) ex generationis nostræ naturalis pravitate Joan. 3, 5. 6.

γ) ex sacramenti utilitate Tit. 3, 5.

Non tamen *absoluta* est hæc necessitas, prouti ajunt Pontificii, cum DEVS etiam extraordinario modo dare possit fidem infantibus. 2. Sam. 12, 18. 23. coll. Act. 2, 39. Marc. 10, 14. etiam in utero matris Hos. 12, 4. Luc. 1, 44. Vid. b. D. J. E. Gerhardi *Conf. Aug. enucl.* p. 148. & cel. *D. Mosheimii* diss. *de salute infantum Christianorum & gentilium ante baptismum decedentium.* Conf. meine Rel. Pred. p. 575. sq. & 585.

§. X. Finis proximus & effectus baptismi est

α) re-

α) respectu infantum regeneratio, Tit. 3, 5. Gal. 3, 27. Luc. 18, 17. Matth. 18, 2. 6. Marc. 9, 42. insitio in Christum 1. Cor. 12, 13. Gal. 3, 27. receptio in fœdus DEI 1. Petr. 3, 21. peccatorum remissio Act. 2, 38. 22, 16. Eph. 5, 26. & vitæ æternæ donatio Marc. 16, 16. 1. Petr. 3, 22.

β) respectu adultorum fidei confirmatio & obsignatio, Act. 2, 37. 41. ideoque sanctificationis incrementum Tit. 3, 5. Rom. 6, 3. 4. Eph. 5, 26.

§. XI. Fructus baptismi *privativus*, liberatio a peccatis, morte & diabolo, nos moneat, ut a peccatis nobis caveamus, ne in potestatem mortis & diaboli iterum incidamus 2. Petr. 2, 20. 21. *positivus* vero, donatio æternæ beatitudinis, moneat, ut omnia removeamus impedimenta, quæ viam ad cœlestem Palæstinam ducentem præcludunt 1. Jo. 3, 3. Purgemus itaque pectora nostra eaque liberemus conscientia mala 1. Petr. 3, 21. memores fœderis baptismalis, & in perpetua renovatione ambulemus, 1. Petr. 1, 3. 4. 5. Act. 13, 43. Vid. *Buddei* theol. mor. p. 1. cap. 5. §. 18. & meine Rel. Pred. p. 588. sqq. 592. sq.

§. XII. Baptismus, si semel rite ac legitime

time collatus sit, nunquam debet repeti. Id quod probatur

α) ex adsertione Pauli Eph. 4, 5. 6.

β) ex divini mandati defectu.

γ) ex probati exempli defectu.

δ) ex firmitate fœderis divini.

LIBER VI.

SECT. I.

CAP. V.

DE SACRA COENA.

Σύνοψις.

Sacræ cœnæ definitio, §. 1. causſa efficiens, §. 2. 3. res terreſtris & cœleſtis, §. 4. forma, §. 5. vera corporis & ſanguinis Chriſti in ea præſentia, §. 6. ſeqq. communio ſub utraque, §. 11. 12. cœnæ finis, §. 13. uſus, §. 14.

§. I.

Sacra cœna eſt actio ſacra, a Chriſto inſtituta, *in qua* cum & ſub *pane & vino conſecrato verum corpus & verus ſanguis Chriſti, intercedente ſacramentali rei terreſtris & cœleſtis* κοινωνία, *communicantibus vere*

vere exhibetur, ad dignam mortis Christi piacularis commemorationem, fidei corroborationem, & gratiæ omniumque charismatum obsignationem.

§. II. Caussa efficiens principalis est Christus qui hoc sacramentum instituit, in statu quidem, at non in actu, exinanitionis: nam sacramentorum institutio, officio Christi mediatorio secundum utramque naturam propria, est opus divinæ potestatis & auctoritatis. Quin Servatoris εὐλογία adhuc hodie efficax est, ad præstandam rem sacramenti, sicut illa Gen. 1, 22. 28. Vide Matth. 26, 26. 27. 28. Marc. 14, 22. sqq. Luc. 23, 19. sq. coll. 1. Cor. 10, 16. sqq. 11, 20-30.

§. III. Caussa ministerialis est minister ecclesiæ ordinarius, qui elementa externa consecrat & communicantibus distribuit. Christus quidem ipse primus eucharistiam administravit; sed postea ecclesiæ ministris hoc munus tradidit & reliquit, 1. Cor. 4, 1. 11, 23. Quodsi quæratur: *an solis ecclesiæ ministris administratio S. cœnæ sit vindicanda? D. Jo. Adolphus Frohnius* concedit eam etiam aliis, si

a) evangelicus Christianus inter hæreticos versetur in extremo necessitatis gradu, in carcere,

cere, aut in pestilentia, aut in mari, ideoque ordinarium ministrum habere nequeat: &

β) tamen desiderium cœnæ in eo tam sit vehemens, ut tentationibus prematur; im Rechte des geistlichen Priesters:

Præeuntibus beato D. *Martino Luthero* tom. 2. *Altenburg* fol. 502 *Ludovico Dunte* p. 603. Cas. consc. *Tilem. Heßhusio. Felice Bidembachio, Jo. Gallo, Joach. Hildebrando, Jo. Musæo*, & *Bechmanno*. Conf. maxime reverendi *Joan. Abr. Kromayeri* comm. in *Aug. Conf.* p. 346. sqq. *b. D. Fridem. Bechmanni* Cas. consc. p. 224. & celeb. D. *Zeltneri* lib. cit. p. 286. nec non *b.* D. *Paul. Tarnovii* de *minist. eccl.* lib. 2. cap. 23. & 29. & *b.* D. *Speneri* Catechismus-Predigten p. 452. & 600. nec non *b.* D. *Jo. Gerhardi* Erklär. der Sacr. des N. T. p. 230. seqq.

§. IV. Res terrestris est panis & vinum: cœlestis est verum corpus ac verus sanguis Christi.

α) Panis verus esse debet, e farina per aquam subacta pistus, sive fermentatus sit sive azymus, sive fragilis, sive oblongæ sive orbicularis figuræ.

NB. 1) Placentulæ, quas *hostias* & *oblatas* vocamus, sunt verus panis: & a priscis

inde temporibus, nimirum inde a sæculo IV., in ecclesia usitatæ. Vide beati *D. Chr. Kortholti*, & *b. D. Joan. Andr. Schmidii* diss. *de oblatis eucharisticis*. Et fractio panis non magis necessaria est, quam effusio vini. Conf. *b. D. Jo. Gerhardi* Erklärung der Lehre von den Sacr. des N. T. p. 245. sqq. Ceterum nostras *oblatas* panem verum esse, ipsi quidam Reformatorum agnoverunt, teste *b. D. Quenstedio* syst. Theol. part. 4. f. 215. a.

2) primum Christus pane azymo usus est ob morem Judæorum Exod. 14, 8; postea vero apostoli & eorum successores fermentato usi sunt Actor. 20, 7. quem morem & orientalis & occidentalis ecclesia diu retinuit. Conf. celeb. *D. Pfaffii* lib. cit. pag. 735.

β) Vinum a Christo adhibitum (Matth. 26, 29.) rubrum fuisse, post patres Lutherus adseruit. Inde mos Ulmensium derivandus, teste *b. D. Henr. Hœpffnero* de *sacra cœna* p. 13. At album æque ac rubrum libere adhibetur.

§. V. Formam eucharistiæ absolvunt actus hujus sacramenti formales,

1) εὐλογία sive consecratio symbolorum quæ fit

α) precatione, qua symbola ad sacram usum destinantur, quæ alias dicitur *consecratio destinationis*.

β) ver-

β) verborum institutionis repetitione; quæ alias dicitur *consecratio unitionis*.

Fructus consecrationis est præsentia realis, quæ in ipsa actione sacramentali seu legitimo sacramenti usu se exserit. In ea enim sacerdos profitetur, se non solum secundum Servatoris præscriptum cœnam administrare velle, sed etiam credere, Christum ex promissione sua *cum* & *sub* symbolis corpus & sanguinem suum conjuncturum. Vid. *b. D. Buddei Instit. Theol. Dogm.* lib. 4. cap. 1. §. 13. Apostolos & primævæ ecclesiæ doctores in consecratione *adhibuisse orationem dominicam*, erudite ostendit vener. *D. Walchius* in diss. *de usu orat. domin. ap. vet. Christ.* §. 3. 6. 7. 8.

2) δόσις seu symbolorum consecratorum distributio, cujus modus arbitrio ecclesiæ relictus est.

3) λῆψις seu symbolorum distributorum acceptio, consistens in manducatione & bibitione.

§. VI. Veram & realem corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentiam probamus

α) ex verbis institutionis Christi, quæ sunt verba testamentaria, & in proprio accipienda sensu.

β) ex constantissima Evangelistarum & Pauli harmonia.

γ) ex vera & reali κοινωνία, quæ est inter panem eucharisticum & corpus Christi, & itidem inter vinum benedictum & sanguinem Christi, teste Paulo 1. Cor. 10, 16.

δ) ex insigni, quem indigni sibi attrahunt, reatu, 1. Cor. 11, 27. 29.

ε) ex Christi, qui sacram cœnam instituit, majestate, sapientia, bonitate, veracitate, & omnipotentia.

ζ) ex natura & indole sacramentorum novi fœderis, in quibus symbola externa sunt μεταδοτικὰ & προσφερόμενα rei cœlestis Coloss. 2, 17. Hebr. 10, 1. si enim corpus & sanguis Christi vere & realiter non adessent in sacra cœna, & nuda præsto essent *signa significativa*; umbra V. T. præstantior foret corpore N. T. cum agnus Paschalis clarius repræsentaret & adumbraret mortem Christi, quam panis eucharisticus.

η) ex tribus in terra testibus, 1. Jo. 5, 8. Si enim sanguis Christi in terra testatur, illum in terra oportet esse præsentem. Conf. summe reverendi *Lamperti Gedikii* concionem Germanicam, ejusque vindicias, *de vera corporis & sanguinis Christi in S. cœna præsentia*. add. celeb. *Canzii* lib. cit. tom. 1. pag. 311. sqq.

θ) ex Matth. 28, 20. quod dictum egregie explicuit celeb. *Jo. Frid. Starckius* in den Pred. vom H. Abendmahl. p. 315. 319. sqq.

§. VII.

§. VII. Hæc doctrina non est contra rationem: nam

α) quod supra rationem, non statim est contra rationem:

β) licet non adsit evidentia *objecti*, in cognoscendo præsentiæ modo, tamen adest evidentia testimonii:

γ) si ea tantum credimus, quæ sunt nostræ rationi consentanea, rebus adsentimur, non auctori; quod etiam suspectæ fidei testibus præstare solemus:

δ) h. l. non est sermo de præsentia physica, sed hyperphysica & invisibili: ubi enim est divina natura, ibi est etiam humana, quæ subsistit in ὑποστάσει τοῦ λόγου. Conferantur, quæ disputavi in tom. 2. *Theol. Polem.* de hac re contra Reformatos.

ε) corpus Christi non est nudum corpus humanum, quod in certo quodam τῷ circumscriptivo inclusum, sed corpus filii DEI, in quo plenitudo divinitatis σωματικῶς habitat. Vid. *b. D. Jo. Ern. Gerhardi* Conf. Aug. enucleat. p. m. 167.

ζ) nec pugnat cum adscensione Christi in cœlum, quæ efficit tantum, ut Christus haud amplius nobiscum sit secundum naturalem visibilemque præsentiam, non vero impedit invisibilem, supernaturalem & divinam præsentiam; conf. *Gerhardi* lib. cit. p. 166. sq. & in primis *dictum Paulinum* Ephes. 4, 10.

Addantur *observationes* celeb. Jo. *Lud. Lindhammeri* in *Comment. in Actor. 1.*

*) nec est, quod objicias: cujus meminisse nos oportet, illud absit necesse est. Nam DEI memoriam constanter servamus, neque tamen is est absens, ut adparet ex Deuter. 8, 18. Judic. 8, 34. Arca fœderis & columna nubis erant μνημόσυνα & recordationes DEI, & tamen ipse DEUS præsens erat in populo. Confer Exod. 20, 24.

†) si filio DEI non fuit impossibile, ut, salva humanæ naturæ adsumtæ veritate, ea ipsa in infinita τῦ λόγυ ὑποστάσει, quæ sane nulli inclusa loco est, subsisteret; neque impossibile eidem erit, efficere, ut in pluribus simul locis, ubi sacra cœna celebratur, verum suum corpus sub symbolo adsit.

‡) si Christus sese nunquam in statu exinanitionis abdicavit usu omnipræsentiæ communicatæ, sequitur, ut multo magis in statu exaltationis sit omnipræsens etiam secundum humanam naturam. At verum est prius Joan. 3, 13. Ergo etiam posterius. Vid. *utriusque D. Pfaffii* dissertationes de hoc argumento.

§. VIII. Prisci primævæ ecclesiæ doctores pariter ita docuerunt, nempe corpus & sanguinem Christi CVM & SVB pane & vino consecrato nobis exhiberi: id quod constat ex testimoniis *Ignatii, Justini Martyris.*

tyris, *Tertulliani*, *Irenæi*, *Cypriani*, & Synodi Nicænæ. Vid. *Affelmanni* Syntagm. part. 1. p. 1005. sqq. *Hutteri* loc. theol. p. 106. seqq. *Gerhardi* loc. theol. tom. V. p. 85. §. 103. & *Buddei* syllogen controv. de S. cœna §. 14. seqq. Hanc quoque doctrinam, de manducatione orali & vere sacramentali fidelium, plenissimam esse solatii, egregie demonstravit *b. D. Wernsdorffius* in dissert. *de dissensu inter socios A. C. & Reform. in art. de S. Cœna fundamentali* §. 18. p. 26. sqq.

§. IX. Illi vero quam gravissime errant, qui nostræ ecclesiæ συνουσίαν sive *consubstantiationem* & impanationem tribuunt. Nam

α) sicut rejicimus Pontificiorum μετουσίαν & Calvinianorum ἀπουσίαν, ita παρουσίαν sobrie & ad ductum verborum Christi firmiter credimus:

β) cantio *Joan. Hussii* a *Luthero* emendata: JESUS Christus unser Heyland ꝛc. vers. 2. exhibet quidem plerumque hæc verba: gab Er uns seinen Leib zu essen, verborgen im Brod so klein ꝛc. At *cantionale fratrum Bohemicorum* an. 1606. editum fol. 45. b aliter verba exhibet, nempe hunc in modum:

„gab Er uns seinen Leib zu essen, und zu „trincken sein rein Blut, welches „Er uns vergossen zu gut.

Immo *Lutherus* non intelligi voluit præsentiam naturalem & localem, per quandam συνουσίαν aut deliteſcentiam, potius myſterii ſublimitatem propoſiturus voci *latere* tribuit *ſenſum myſteriologicum*. Vnde τὸ *latens* non adjective ſed adverbialiter accipiendum eſt.

γ) diſtinguenda eſt *coëxiſtentia panis & corporis, vini & ſanguinis in ſe*, a *coëxiſtentia locali*: priorem adſeruit *Lutherus*, poſteriorem deteſtatus eſt. Vid. venerandi *Schamelii* Evangeliſcher Lieder-Commentarius, p. 362. & beati *D. Jo. Henr. Feuſtkingii* diſſertatio *de ſynuſia eccleſiæ Lutheranæ falſo imputata*.

δ) conſubſtantiatio ducit proxime ad eſum craſſiorem & Capernaiticum; quem ſerio deteſtamur.

§. X. *Tranſubſtantiationem* Pontificiorum merito rejicimus & damnamus: nam

α) in verbis inſtitutionis nullum habet fundamentum:

β) Paulus panem & vinum etiam poſt conſecrationem nominat, adhuc panem & vinum 1. Cor. 10, 17.

γ) dogma Pontificiorum adverſatur externorum ſenſuum teſtimonio; conf. *Jo. la Placette*

cette lib. *de auctorit. ſenſuum circa transſubſt.*

β) tale corpus transſubſtantiatum miraculoſe demum creari deberet, nec illud ipſum corpus eſſet, quod in cruce pendebat. Vid. venerandi *Car. Godofr. Engelſchallii* ſiegende Evangeliſche Wahrheit p. 173. ſeq.

γ) transſubſtantiatio totam tollit ſacram cœnam, quia adſerunt Pontificii, non amplius adeſſe panem.

ζ) propagandæ augendæque ſuperſtitionis cauſſa transſubſtantiatio demum Sæc. IX. a *Paſchaſio Rathberto*, ſi fundamentum ejus ſpectes, &, ſi nomen remque ipſam ſpectes, ab Innocentio III. in Lateranenſi concilio, excogitata fuit, & Sæc. XIII. a Papa *Urbano IV.* confirmata, qui *feſtum corporis Dominici* inſtituit. Conf. S. R. *D. Walchii* Hiſtor. *Transſubſtant. Pontificiæ.*

η) neque in baptiſmo aqua transſubſtantiatur in ſanguinem Chriſti.

§. XI. Omnibus illis, qui ad communionem ſacræ cœnæ admittuntur, *ſymbolum* bene edictum *utrumque* dari omnino debet,

α) propter Chriſti inſtitutionem Matth. 26, 26. 27. 28. quam mutare Papæ æque atque ejus clero haud licet.

β) propter exemplum eccleſiæ Apoſtolicæ, 1. Cor. 11, 23. 24. 25. cui adverſari nefas eſt.

γ) propter effuſionem ſanguinis Chriſti pro

omnibus factam hominibus Luc. 22, 20. 1. Tim. 4, 10.

ϑ) propter exemplum priorum sæculorum. *Nec quidquam inter sacerdotem interest*, inquit Chrysostomus, *& eos, quibus præst, cum tremenda mysteria percipienda sunt. Omnibus unum corpus, unum poculum proponitur*, Homil. XVIII. in 2. Cor. 8. Et mos unam tantum speciem sacramenralem laicis porrigendi recentioribus demum temporibus in ecclesiam occidentalem irrepsit sensim sensimque; id quod comprobat beatus *D. Jo. Andr. Schmidius* in dissert. *de satis calicis eucharistici*. Conf. beati *D. Jo. Musæi* dissert. II. *de communione sub utraque specie*; & vener. *Hillingeri* præfationem, quam præmisit dem Saltzburgischen Kelch-Raub. Ipsum Papam *Gelasium* communionem sub una specie *magnum* vocasse *sacrilegium*, ostendit *b. D. Hect. God. Masius* in der Vertheid. der Luther. Religion, part. 2. cap. 4. Conf. *Engelschallii* lib. cit. p. 255. sqq.

§. XII. Illi qui sunt admittendi ad has epulas, sunt omnes, qui se suamque fidem explorare possunt, 1. Cor. 11, 28. 13, 5. Excluduntur ergo rationis usu & fide destituti. Conf. D. *Bechmanni* cas. consc. pag. 190. seqq.

§. XIII.

§. XIII. Effectus seu finis eucharistiæ est commemoratio mortis Christi, fidei confirmatio, obsignatio promissionis de remissione peccatorum, novæ vitæ corroboratio, amoris incitatio, spiritualis nutritio, Luc. 22, 19. 1. Cor. 10, 17. 11, 24. seqq. 12, 13.

§. XIV. Perfruitio sacræ cœnæ est vel *sacramentalis*, quæ fit ore, etiam ab indignis hujus cœnæ convivis 1. Cor. 11, 27. 29. vel *spiritualis*, quæ fit fide, a solis convivis dignis, qui Christi meritum & singula beneficia eo parta sibi adplicant Joan. 6, 48. seqq. 29. 40. 47. *Ante usum* sacræ cœnæ instituatur exploratio sui ipsius 1. Cor. 11, 28. coll. Matth. 9, 12. *In usu* fides vera gignat necesse est amorem Christi 1. Joan. 3, 16. Rom. 8, 32. sincerum gaudium Psalm. 111, 4. Jes. 61, 10. & ardentissimum intimæ cum Christo conjunctionis desiderium Cantic. 8, 6. *Post ejus usum* & Christum laudemus Psalm. 103, 1. 2. 3. & in unione mystica cum Christo perseveremus Jo. 15, 4. 5. 6. & a peccatorum sordibus nobis caveamus 1. Jo. 1, 6. 4, 10. 11. Conf. beati *D. Maii* Theol. Mor. pag. 128. & *b.* D. *Buddei* diss. *de usu myster. in praxi vitæ Christ.* §. 12.

LIBER

LIBER VI.

SECT. I.

CAP. VI.

DE ECCLESIA.

Συνοψις.

Ecclesiæ vox vario in sensu accipitur, §. 1. 2. 3. veræ ecclesiæ visibilis notæ, §. 4. invisibilis attributa, §. 5. 6. forma, §. 7. caput, §. 8. caussa efficiens, §. 9. materia & finis, §. 10. usus doctrinæ, §. 11. visibilis regimen, §. 12. 13. communio sanctorum, §. 14. tres status, §. 15.

§. I.

Media salutis exhibitiva, verbum DEI & Sacramenta, inveniuntur in *ecclesia* militante, quæ differt ab ecclesia *triumphante*, quæ est cœtus fidelium, qui, militia sua defuncti, superatis hostibus, in cœlis cum Christo vivunt atque lætantur Apoc. 2, 26. 27. 7, 9. 21, 10. Totam de ecclesia doctrinam in tabulis eximiis exhibet *b. Theodoricus Hackspanius*, theologus olim Altdorfinus, in manua-

manuali theologico, cura ſumme reverendi *D. Jo. Balth. Bernholdi* edito, p. m. 220. ſeqq.

§. II. Eccleſia *militans* accipitur

α) *improprie*, & ſic ſignificat cœtum mixtum ex fidelibus & hypocritis Galat. 1, 2. ſeqq. Matth. 13, 24. ſqq. 22, 10. 11. 15, 1. 2.

β) *proprie*, & ſic ſignificat cœtum vere fidelium, qui Chriſto capiti per fidem ſunt inſiti, & veluti membra viva unum cum ipſo corpus myſticum conſtituunt, Epheſ. 4, 16. 1. Petr. 2, 4. ſeqq.

§. III. Propterea recte diſtinguitur inter eccleſiam

α) *viſibilem*, ſeu cœtum ad Chriſtum vocatorum, in quo eſt ejusdem fidei profeſſio ſecundum normam verbi divini, & eorundem ſacramentorum adminiſtratio ſecundum inſtitutionem Chriſti;

β) & *inviſibilem*, ſeu cœtum vere credentium, qui cum Chriſto, capite ſuo, per fidem ſunt conjuncti, & ab ipſo per gratiam inhabitantem ad vitam æternam ſuſtentantur, Eph. 1, 22. 23. 5, 33. Col. 1, 18. 2, 19.

§. IV.

§. IV. Si ratio habeatur vitæ præsentis & futuræ, ecclesia recte dividitur in *militantem* Eph. 6, 10. seqq. 1. Jo. 5, 4. Rom. 7, 14. seqq. & *triumphantem* Apoc. 2, 10. 26. 27. 7, 9. 21, 10. At cum militante non debet confundi ecclesia *pressa*, seu turbida Ps. 129, 1. seqq. Cant. 1, 4. seq. Jes. 54, 11. cui opponitur *tranquilla* seu quieta: nam militans communiter dici solet *universalis*, cum pressa sæpenumero esse possit *particularis*. De *pressæ ecclesiæ felicitate* præstantissima extat dissertatio celeberrimi *D. J. Dav. Baieri*.

§. V. Veræ ecclesiæ visibilis notæ sunt

α) pura doctrina verbi divini, Jo. 8, 31. 10, 27. Eph. 2, 9. 20. & Apoc. 2, 5.

β) administratio legitima sacramentorum secundum Christi institutionem, 1. Cor. 11, 23. Matth. 28, 19. 20. Splendorem externum huc non posse referri, ex fatis civitatis Dei adparet.

§. VI. Ecclesiæ invisibilis quatuor recte constituuntur attributa: est enim

α) *una*, Ephes. 4, 4. 5. 6. 1, 22. 23. 4, 3. 1. Corinth. 6, 17. 12, 12. seqq. Rom. 12, 4. 5.

β) *sancta*: nam & caput ejus sanctum est Coloss. 1, 16. Ephes. 4, 15. 16. & membra

bra ejus sancta sunt, Rom. 8, 1. Eph. 5, 25. 26. 27. Joan. 17.

γ) *catholica:* est enim in toto terrarum orbe per omnes terras diffusa ac diffundenda, ejusque perennis est perpetuitas, Matth. 28, 19. 20. 1. Petr. 1, 1. Jo. 4, 21. Matth. 16, 18. Dan. 7, 13. 14. 1. Cor. 15, 24. seqq.

δ) *apostolica:* nam doctrinam Apostolicam fide amplectitur & integram tenet, Ephes. 2, 20.

§. VII. Ecclesia invisibilis nunquam in fide errare potest 1. Tim. 3, 15. Jes. 59, 21. Qui vero vera fide Christo adhæreant, nulli homini, sed soli DEO, potest esse notum, Joan. 10, 14. 2. Tim. 2, 19. 1. Reg. 19, 14. 15. Rom. 11, 3. 4. Particulares ecclesias deficere posse, ceu catholicæ ecclesiæ membra effracta, (Rom. 11, 20. Joan. 15, 6.) historia ecclesiastica abunde comprobat: at universalis ecclesia nequit deficere Matth. 16, 18. 28, 20. Jes. 59, 21. sed ratione status interni est perpetua.

§. VIII. Forma ecclesiæ invisibilis alia est

α) *externa*, nempe ejusdem fidei confessio, eorundemque sacramentorum usus: alia est

β) *in-*

β) *interna*, nempe unio myſtica cum Chriſto, capite vere fidelium, Jo. 15, 5. Eph. 5, 29. ſeqq. Eph. 1, 22. 23.

§. IX. *Eccleſiæ* igitur proprie acceptæ *caput* eſt Chriſtus θεάνθρωπος Coloſſ. 1, 16. 2, 19. cujus multiplex influxus in eccleſiam ſeſe diffundit quam largiſſime Eph. 4, 11. 12. 3, 16. 17. Coloſſ. 3, 14. Pſalm. 68, 19. 1. Cor. 12, 4. At prærer Chriſtum aliud quoddam eccleſiæ caput viſibile ſtatuere, prorſus ineptum eſt. Nam Apoſtolorum tempore non fuit tale caput, & Chriſtus primatum interdixit Luc. 22, 25. coll. 1. Cor. 5, 3. neque capitis viſibilis meminit Paulus Epheſ. 4, 11. immo tale caput internæ eccleſiæ formæ repugnat Epheſ. 5, 23. Conf. celeb. *D. Cypriani* Belehrung vom Urſprung und Wachsthum des Pabſtthums, cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. beati *D. Schelwigii* Prüfung des Pabſtthums, pag. 648. ſeq. 726. 627. 632. 638. 651. 661. & beati *Hollazii* exam. theol. part. 4. pag. 821. ſeqq.

§. X. Cauſſa efficiens eccleſiæ, ſive is, qui homines fideles efficit, eccleſiam ſibi colligit, vegetat &conſervat, eſt DEUS trinunus, Pſalm. 95, 7. 1. Petr. 2, 9. 10. 1, 15. & Chri-

Christus θεάνθρωπος Act. 20, 28. Eph. 4, 15. 16. conf. beati *D. Jo. Musæi* præstantissimum librum *de ecclesia* part. I. disp. 2. §. 34. Caussa instrumentalis sunt verbum & sacramenta, Rom. 10, 14. 17. Jo. 3, 5.

§. XI. *Materiam ecclesiæ* constituunt homines e communi hujus mundi colluvie divinitus evocati, vere credentes & sancti Rom. 1, 6. 7. 2. Tim. 1, 9. Jac. 1, 18. Eph. 5, 26. *finis* ecclesiæ *proximus* est ædificatio cum corporis mystici totius, tum singulorum membrorum 1. Cor. 12, 4. seqq. Eph. 4, 12. 16. *ultimus* est membrorum ecclesiæ salus Eph. 5, 27. & divini nominis gloria, Ephes. 1, 11. 12.

§. XII. Caveamus igitur, ne in externa cum visibili ecclesia communione adquiescamus; sed potius mediis salutis ita utamur, ut ad internam cum invisibili communionem perveniamus, & cum fiamus tum permaneamus viva mystici corporis Christi membra, Eph. 4, 15. 16. Adflictiones ecclesiæ militantis ne sint nobis offensioni, caveamus, Cant. 2, 2. Ps. 46, 1. seqq. Coloss. 3, 3. 4. & demus operam, ut ali-

quando ſplendorem & gloriam triumphantis eccleſiæ videamus, Hebr. 12, 1. Rom. 8, 17.

§. XIII. Eccleſia viſibilis repræſentatur interdum per *concilia*, quæ a ſupremo magiſtratu civili orthodoxo convocantur Jeſ. 49, 23. 1. Tim. 2, 2. ut de doctrina ac moribus in controverſiam venientibus ſecundum normam verbi divini judicium feratur, pacis & concordiæ cum ſtabiliendæ tum conſervandæ cauſſa, 1. Tim. 5, 17. Act. 15, 5. 6. ſeqq. 2. Cor. 13, 8. Conf. beati *D. Buddei* inſtit. *theol. dogmat.* lib. 5. cap. 3. §. 18. & beatorum virorum D. *Dannhaueri*, D. *Æg. Strauchii*, & D. *Val. Velthemii* diſſertationes *de concilio Hieroſolymitano*. Præſes concilii politicus eſt Imperator, Rex aut Princeps Chriſtianus, aut aliquis ab illo delegatus; præſes eccleſiaſticus eſt unus vel plures theologi, ab Imperatore, Rege aut Principe, vel communi totius concilii ſuffragio electi. Conf. ſumme reverendi D. *Chriſt. Matth. Pfaffii* inſtit. *hiſt. eccleſ. N.* T. ſæc. 4. cap. 5. p. III. 221. ſeqq.

§. XIV. Ad doctrinam de eccleſia pertinet dogma *de communione ſanctorum* 1. Jo. 1, 3. 4.

I, 3. 4. 2. Petr. 1, 1. in primis Eph. 4, 1--6. Obſervemus, quæſo,

α) *interne* illam fundatam eſſe in

1) *uno* Chriſti corpore Eph. 4, 4. 12. 2, 15. 16. 1. Cor. 12, 12. 13.

2) *uno* Spiritu. 1. Cor. 12, 26. Rom. 8, 9.

3) *una* ſpe vocationis. 2. Theſſal. 2, 7, 16.

4) *uno* imperio unius Domini. 2. Cor. 1. 24. Rom. 14, 9, 2. Cor. 5, 15.

5) *una* fide. Epheſ. 2, 12.

9) *uno* baptiſmo. Rom. 6, 3. Galat. 3, 27.

7) *uno* Patre. Eph. 2, 22.

β) *externe* ſeſe illam manifeſtare per varias virtutes. Epheſ. 4, 1, 2. 3. Actor. 2, 44. ſqq. 2. Cor. 1, 11. Rom. 15, 30.

γ) hanc vivam nobis præbere convictionem *unitatis eccleſiæ*, tum externæ tum internæ Joan. 8, 31. Hebr. 10, 33. 12, 22. 23. Conf. *b. D. Jo. Muſæi* diſſ. 2. *de eccleſ.* §. 99. ſqq. & *b. D. Mich. Fœrtſchii* diſſ. *de indole commun. Chriſt. externæ*, nec non *b. Jo. Arndii* lib. 2. *de vero Chriſt.* cap. 51.

§. XV. Tres *ſtatus* hominum eccleſiam viſibilem conſtituentium numerari vulgo conſueverunt, nimirum ſtatus *eccleſiaſticus*, *politicus* & *œconomicus*. Quæ de ſtatu politico

litico & œconomico tradi debent, recte a clarissimis viris, *Buddeo* & *Majo*, in *theologia morali* pertractata sunt; de statu ecclesiastico autem ut hoc loco paucis exponam, ordinis exigit ratio.

LIBER VI.

SECT. I.

CAPVT VII.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Σύνοψις.

Ministerii ecclesiastici definitio, §. 1. caussa efficiens, §. 2. 3. 4. potestas, §. 5. officium, §. 6. dignitas, §. 7. finis, §. 8. 9. usus hujus doctrinæ, §. 10.

§. I.

Ministerium ecclesiasticum est officium sacrum & publicum divinitus institutum, & certis iisque idoneis hominibus per legitimam vocationem commendatum, ut peculiari potestate instructi verbum DEI doceant, sacramen-

cramenta administrent, & ecclesiasticam disciplinam conservent, ad gloriam DEI hominumque salutem.

§. II. Caussa efficiens principalis ministerii ecclesiastici est DEUS, Jer. 3, 15. 1. Cor. 12, 28. 2. Cor. 3, 5. 4, 6. *Pater* Gal. 1, 16. *Filius* Jo. 20, 21. Eph. 4, 11. 12. & *Spiritus Sanctus* Act. 20, 28.

§. III. Caussa ejus minus principalis est ecclesia Act. 4, 5. 14, 23. Matth. 16, 19. 2. Tim. 2, 2. Tit. 1, 5. Hebr. 5, 4. Rom. 10, 15. servato tamen decenti ordine in hujus juris exercitio: nam

α) clericis competit *examen*, *ordinatio* & *inauguratio*:
β) magistratui civili competit *denominatio*, *præsentatio*, *vocatio* & *confirmatio*:
γ) populo competit *consensus*, *suffragium* & *adprobatio*.

Confer Act. 1, 23. 6, 5. 14, 23. & illustrissimi *Jo. Balthasaris L. B. de Wernher* princip. *jur. eccles. protest.* cap. 2.

§. IV. *Vocatio* divina ad ministerium ecclesiasticum est vel *immediata* e. g. Exod. 3, 10. Jerem. 1, 5. 1. Reg. 19, 16. Act. 1, 14. seq. Gal. 1, 1. vel *mediata* Act. 20, 28. 1. Thess.

2, 4. Coloss. 4, 17. 2. Tim. 2, 2. Mediate vocandus ratione intellectus habeat necesse est eruditionem necessariam, dona ministrantia & sanam doctrinam; ratione voluntatis vero integritate vitæ morumque sit commendabilis, ut etiam suo docere queat exemplo, 1. Cor. 4, 6. 9, 27. 11, 1.

§. V. Potestas ministerii ecclesiastici consistit

α) *in potestate docendi* cum privatim Act. 18, 27. Coloss. 3, 16. tum publice Matth. 28, 19. 2. Tim. 2, 15. Tit. 1, 9. ut & rudes instituantur & doctrinæ gnari confirmentur: ut errantes convicti veritati obsequantur: ut languescentes excitentur: ut pravi obiurgentur; utque adflicti solatio erigantur.

β) *in potestate administrandi sacramenta*, Matth. 28, 19. 1. Cor. 11, 23.

γ) *in potestate remittendi & retinendi peccata*, sive efficacissima divinarum promissionum adplicatione, Matth. 18, 18. Joan. 20, 21. seqq

Conf. beati D. *Wernsdorffii* dissertationes *de fundamento confessionis & absolutionis privatæ & de absolutione collativa:* nec non illustrissimi *Wernheri* lib. cit. cap. 6. pag. m. 69.

m. 69. seqq. & beati D. *Salom. Glassii* notas ad Hutteri comp. theol loc. 15, 21, adde maxime reverendi *J. Mart. Schamelii* vindic. *catechet.* p. 122. seqq. & celeb. D. *Walchii* introd. *in libr. symbol.* p. 692. seqq. & beati D. *Gottl. Slevogti* Recht der Beicht-Stühle.

§. VI. Minister ecclesiæ rite vocatus idoneusque accedat Jer. 14, 15. Jo. 3, 27. Rom. 10, 15. diligenter verbum divinum adnuntiet 1. Tim. 4, 15. 2. Tim. 4, 2. Sacramenta prudenter dispenset 1. Tim. 4, 13. 2. Tim. 4, 2. & voce & exemplo doceat Philipp. 3, 17. Conf. beati D. *Bechmanni theol. conscient.* passim, & laudatum *Wernheri* libellum pag. 37. sqq. 118. sqq. 155. sqq. & p. 12. sqq. itemque beati D. *Jo. Fechtii* instructionem pastoralem. Præter hos *pastoralis theologiæ* præcepta tradiderunt *Martinus Lutherus, Erasmus Sarcerius, Paulus Tarnovius, Jo. Lud. Hartmannus, Jo. Andreas Quenstedius, Christianus Kortholtus, Jo. Güntherus, Jo. Fr. Buddeus, Godofredus Olearius*, gloriosæ recordationis theologi, & celeberrimus D. *Jo. Balth. Bernholdus*, nec non S. R. D. *Salom. Deylingius.*

§. VII. Dignitas ministrorum ecclesiæ omnium æqualis est jure divino, ita ut nulla locum habeat subordinatio Eph. 4, 11. 1. Cor. 12, 28. licet jure humano a summo imperante, ordinis ergo, inæqualitas introduci hodie possit, dummodo procul absit fastus & dominatus.

§. VIII. Finis ministerii ecclesiastici intermedius est verbi divini adnuntiatio & fidei in animis hominum cum accensio tum conservatio Matth. 5, 14. Eph. 3, 8. 9. 2. Cor. 5, 20. Gal. 4, 19. ultimus est salus æterna 1. Tim. 4, 16.

§. IX. Ceterum, quæ hactenus tradidi, commode illustrari poterunt ex magnifici atque celeberrimi ecclesiarum Saxo-Vinarienſium præsulis, *Jo. Georg. Weberi*, libro *de ordine ecclesiastico in Aug. Confess. triumphante*, Vinatiæ an. 1730. edito.

§. X. Nos, licet credamus, improbitatem ministrorum ecclesiæ non imminuere mediorum salutis efficaciam, DEUM tamen pie rogemus, ut ecclesiæ suæ præficiat ministros cum pietate tum doctrina insignes: bonos ecclesiæ ministros colamus, donorum cœle-

cœlestium augmenta iis optemus, eorumque sermonibus salutaribus obediamus, ut fides nostra eorum ministerio confirmetur, qua ornati in cœlestem patriam perveniemus.

LIBER VI.

SECT. II.

DE MEDIIS SALVTIS ISAGOGICIS SEV EXSECVTIVIS.

CAP. I.

DE MORTE TEMPORALI.

Σύνοψις.

Media salutis isagogica quid? §. 1. *mors temporalis quid?* §. 2. *ejus causſæ,* §. 3. 4. *ratio formalis,* §. 5. 6. *ſubjectum,* §. 7. 8. *ſtatus animarum ſeparatarum* §. 9. *uſus hujus doctrinæ,* §. 10.

§. I.

Media salutis exsecutiva, sine quorum antecessu DEUS glorificationis sententiam ordinarie non exsequitur, sunt mors temporalis, mortuorum resurrectio, judicium extremum & consummatio sæculi. Sunt igitur media ordinis, at non caussalia.

§. II. *Mors temporalis* est dissolutio animæ & corporis, per peccatum, a ptotoplastis naturaliter propagatum, in omnes homines introducta, qua anima quidem, statim post excessum e corpore, aut ad æterna gaudia aut ad perpetuos cruciatus pervenit, corpus vero terræ mandandum in pulverem redigitur, in universali resurrectione animæ iterum jungendum, ad ejusdem aut beatitudinis aut damnationis consortium sempiternum.

§. III. Caussa igitur mortis meritoria est peccatum a protoplastis naturaliter propagatum Rom. 5, 12. 6, 23. Gen. 2, 17. 3, 19. I. Cor. 15, 22. 47. Quam ob rem mors respectu infidelium pœna est & ingressus in damnationem æternam Joan. 8, 21. coll. Apoc.

Apoc. 21, 8. at respectu fidelium est tantum somnus & aditus ad æternam beatitudinem Jo. 5, 24. 11, 25. 26. Phil. 1, 23. 1. Reg. 19, 4. cum enim omnium remissionem peccatorum a DEO propter Christi meritum consecuti sint, mors eorum nequit habere rationem pœnæ, Hebr. 11, 13. Apoc. 14, 15. 1. Cor. 3, 22. Ceterum qua ratione mors temporalis fidelium cum satisfactione Christi consistere queat, eleganter ostendit celeb. *D. Frid. Ad. Lampius* meditat. IV. §. 6. *de morte hominum* p. m. 107. seqq. & *b. D. Zach. Grapius* in *Theol. recens controversa.* Conf. celeb. *D. Pfaffii* sched. *de morte temporali.* Mors fidelium quidem ultima pars est castigationis, propter peccatum a DEO immissæ: nam etiam vas illud confringi vult, quod tantum peccati instrumentum fuit. Cum vero corpora hæc crassiora & peccatis corrupta non apta sint ad hæreditatem cœlestem 1. Cor. 15, 50. & Deus gradatim filios suos ad plenam gloriam velit evehere; putrefactio corporum eorum sapientiæ divinæ, immo justitiæ & bonitati supremi Numinis, maxime est consentanea. Christus mortem destruxit & sustulit, non *formaliter* ut *non sit*, sed *finaliter*, ut non obsit piis, sed po-

potius prosit. Conf. S. R. *D. Mart. Frisii* fund. *Theol. Thet.* p. 234. sq.

§. IV. Ad causas mortis *naturales* ipsa senectus recte refertur; quod si per varia morborum genera animæ corporisque solutio fiat, causæ inde oriuntur *præternaturales: violentæ* autem, si per vim quandam externam corpus ita læditur, ut inde non possit non sequi ejusdem destructio. Qua ratione DEUS inter causas mortis referri queat, supra in loco *de providentia divina* dictum est. Conf. Ps. 90, 3.

§. V. Ratio formalis mortis est dissolutio animæ & corporis, Philip. 1, 23. 24. 2. Tim. 4, 6. 2. Cor. 5, 1. 8. Gen. 25, 28. Matth. 27, 50. Jo. 19, 30. 1. Reg. 17, 21. Conf. celeb. *D. Pfaffii* dissert. *de morte temporali*, & meine Relig. Pred. p. 452. sq.

§. VI. Corpora igitur exanimata sepelienda sunt, secundum exemplum populi Israelitici Gen. 23, 14. 19. 35, 8. 19. 49, 29. 50, 3. Num. 20, 1. Deut. 34, 6. Jos. 24, 30. 2. Sam. 2, 4. 5. &c. & ut aëre puriore fruamur, utque corpora, animæ rationalis habitacula, immo templa Spiritus S. 1. Cor. 6. 19. 20., ab injuria vindicentur. Absit vero luctus

luctus immoderatus Gen. 50, 1. 2. Sam. 12, 19. seqq. 1. Thess. 4, 13. seqq. Conf. *D. Lampii* lib. cit. cap. 6. §. 7. pag. 235. seqq. & m. Rel. Pred. p. 455. sq.

§. VII. *Subjectum mortis* sunt omnes homines, per carnalem generationem a protoplastis propagati, Gen. 2, 17. 3, 19. 5, 5. Rom. 5, 12. exceptis Henocho & Elia Gen. 5, 24. 2. Reg. 2, 11. quibus tantum immutatio, non substantialis sed accidentalis, morti ἀνάλογος, contigit, id quod credimus propter caussam a Paulo allegatam 1. Cor. 15, 53. Conditionem eorum, quos adventus Domini vivos deprehendet, indicat idem apostolus 1. Thess. 4, 17. Conf. beati *Baieri* compendium *theol. pos.* part. 1. cap. 8. §. 13. & beati *D. Wandalini* lib. cit. p. 384. & D. Evvaldi Vorbothen der Ewigkeit p. 182. sqq.

§. VIII. De reliquo omnes hoc manere dicitur homines, ut *semel* moriantur, Hebr. 9, 27. Cum beati *D. Balthas. Bebelii* dissert. *de bis-mortuis* conferri debent, quæ eleganter tradit beatus *Jo. David Schwerdtnerus* tom. 1. *miscellan. Lipsiens.* obs. XI. & b. D. *Phil. Mülleri* Oster-Gedancken von den

den zweymal Gestorbenen, pag. 29. Ego certe dudum mihi persuasi, a Christo & ab aliis resuscitatos haud bis fuisse mortuos, sed exacto tempore, ad vivendum divinitus concesso, raptos esse in cœlum. Conf. *b. Ge. Mich. Laurentii* comment. in *evang. Joannis* p. 406. sqq. Conf. mein Theologisches Bedencken von den vermeynten zweymahl Verstorbenen.

§. IX. Status animæ separatæ post excessum e corpore diversus est: nam fidelium animæ statim ad sempiterna transeunt gaudia, Luc. 23, 43. 16, 22. 20, 38. Philip. 1, 23. 3, 20. Koh. 12, 7. Apoc. 14, 13. infidelium vero animæ statim ad perpetuos cruciatus perveniunt, Luc. 16, 22. seqq. Kohel. 12, 7. Matth. 13, 30. Judæ v. 7. Anima certe, quæ substantia est, post separationem a corpore, sui ipsius & status sui conscia est, cum intima sensione: idque eo magis, quo minus corporales sensualitates ei sunt impedimento. Vid. *Thümmigii* Phil. Wolff. tom. I. p. 201. §. 274. Conf. *Lampii* lib. cit. cap. XI. p. 434. sqq. & cap. 8. p. 316. & *b. D. Jo. Ge. Abichtii* differt. *de animabus humanis post mortem corporis vivis.* Illi, qui

qui varios de ſtatu animarum ſeparatarum poſt mortem errores fovent, ad meliorem perducentur ſententiam, ſi legerint beati celeberrimique theologi, *D. Gottlibii Wernsdorffii*, diſſertationem *de ſtatu animarum ſeparatarum*, quæ etiam in patrium translata ſermonem Wittembergæ nuper prodiit: nec non celeb. *Moſis Amyraldi* medit. *de ſtatu fidelium poſt mortem* p. 119. ſqq. edit. Germanicæ. *Animæ* a corpore *ſeparatæ* habebunt ſtatim *judicium* ſuum (Hebr. 9, 27.) *particulare;* de quo *D. Dan. Gerdeſius* & *Paul. Chr. Hilſcherus* in peculiaribus ſcriptis expoſuerunt. Illi, qui recentiſſimis temporibus *ſtatum medium animarum ſeparatarum* extorquere ſtudent

α) ex Luc. 23, 43. coll. Joan. 20, 17.

β) ex 2. Corinth. 12, 2. 4. coll. 1. Timoth. 6, 16.

γ) ex Apocalypſ. 6, 9. 10. 11.

in turpiſſimo verſantur errore ſuamque in *exegeſi ſacra* produnt ignorantiam.

§. X. Rogemus igitur nos pie DEUM quotidie, ut mortalitatem corporis noſtri in mentem nobis revocet Pſalm. 39, 6. 90. 13. caveamus nobis a peccatis Job. 32, 22. memores incertitudinis horæ, qua DEUS e ſtatione

tione decedere nos jubebit Kohel. 9, 12. Luc. 12, 19. 20. & eorum, quæ mortem insequuntur; operam ex adverso navemus, ut nunquam non ad beatam mortem simus præparati 2. Cor. 5, 9. Confer ultimum caput præstantissimi libri beati *D. Speneri* de *officiis vitæ Christianæ*, Germanica lingua exarati.

LIBER VI.
SECT. II.
CAPVT II.
DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

Σύνοψις.

Resurrectionem futuram esse demonstratur, §. 1. *resuscitatio*, §. 2. *resuscitans*, §. 3. *resuscitandi*, §. 4. 5. *resuscitationis forma*, §. 6. *ejus finis*, §. 7. *resurgentium corporum conditio*, §. 8. *hujus doctrinæ usus*, §. 9.

§. I.

Corpus in pulverem redactum & in cineres conversum aliquando in resurrectione

ctione universali animæ iterum junctum iri, ad ejusdem aut præmii aut pœnæ consortium æternum,

ℵ) *ratio sana facile cognoscit.* Nam

א) in corpore, quo anima in hac vita usa est ad exserendos actus externos, justitia DEI & remunerativa & vindicativa etiam manifestetur necesse est:

ב) DEUS omnipotens, qui ex nihilo olim hoc universum produxit, e cineribus quoque corpus producere potest, cum præsertim pro infinita sua omniscientia quam accuratissime noscat cum omnes ac singulos homines, tum omnes corporum humanorum particulas. Conf. *Bened. Pictheti*, celeberrimi viri, *scrutinium religionum*, p. m. 142. seq. & venerandi *Lamperti Gedickii* prim. *ver. rel. Christ.* cap. 28. p. m. 506. seq. & celeb. D. Bernh. Nieuwentyti Erkänntniß GOttes aus der Betracht. dieser Welt cap. 29. p. 805. sqq.

ג) Personalis corporis & animæ conjunctio indicat certitudinem resurrectionis corporum mortuorum. Id enim in perpetuum non potest manere separatum, quod ad essentiam hominis pertinet. In tali igitur forma iterum corpus aliquando conjungetur cum anima, qualem requirit animæ conditio. Vid.

V. C. *Jo. Ern. Schuberti* oratio sacra Teutonica *de resurrectione mortuorum.*

a) *sacra scriptura* clarissime docet, Jes. 26, 19. Dan. 12, 2. Ezech. 27, 4. sqq. Exod. 3, 6. coll. Matth. 22, 31. 32. Joan. 5, 28. 29. 11, 24. 25. Act. 24, 15. Philip. 3, 21. 1. Thess. 4, 13. 16. Hebr. 6, 1. 2. Apocal. 20, 4. 5. & exemplis comprobat e. g. 2. Reg. 4, 32. 13, 21. Luc. 7, 15. Vid. *tomus V.* der Hamburg. Canzel-Reden.

§. II. Differt *resurrectio* mortuorum a *resuscitatione:* nam illa huic respondet & hanc sequitur. *Resuscitatio* vero est actio Christi θεανθρώπου omnipotentis & omniscii, qua is, pro gratia & justitia sua, eadem numero corpora humana resuscitabit, iterumque cum animabus conjunget, ut integros homines coram tribunali suo sistat.

§. III. Resuscitans est DEUS trinunus omnipotens, veracissimus, justissimus & omniscius Joan. 5, 21. Rom. 4, 17. 8, 11. 1. Cor. 6, 14. & cum singulari ἰδιοποιήσει filius DEI θεάνθρωπος Job. 19, 25. Jo. 5, 21. 27. 28. 29. Quemadmodum ad omnipotens DEI verbum in creatione statim exsistebant, quæ antea non erant, ita ad vocem

filii

filii DEI mortui e monumentis suis exibunt. Christus igitur, qui mortuos resuscitando œconomiam gratiæ consummabit, verus DEUS sit necesse est, Jo. 11, 43. 44. 45. Apoc. 1, 18.

§. IV. *Resuscitandi* sunt omnes ac singuli homines mortui, *fideles* & *infideles* Dan. 12, 2. Jo. 5, 29. illi resurgent vi meriti Christi 1. Cor. 15. 23. (*) Jo. 6, 54. 11, 25. hi autem vi decreti divini & justitiæ vindicativæ. Conf. beati *D. Bechmanni* theol. polem. *loc. de resurrectione mortuorum.*

§. V. Omnia vero defunctorum corpora, numero & substantia eadem, quæ in hac vita fuerunt, resuscitabuntur; id quod exigit DEI justitia cum remuneratoria tum vindicativa 2. Cor. 5, 10. Jo. 5, 28. 29. Et piorum quidem corpora excellentes habebunt dotes, 1. Cor. 15, 42. sqq. impiorum vero corpora solam habebunt incorruptibilitatem, ut æternos cruciatus sustineant, at

(*) Fidelium resurrectionis certitudo probatur ex opere redemtionis Hos. 13, 14. ex Christi resurrectione Joan. 14, 19. 1. Thess. 4, 14. 1. Cor. 15, 20. ex inhabitatione Spiritus Sancti Rom. 8, 11. Infidelium ex justitia divina, ex testimonio conscientiæ & ex modo providentiæ divinæ.

omni gloria pariter atque dignitate ſpirituali prorſus erunt deſtituta.

§. VI. *Forma reſuſcitationis* conſiſtit

α) in corporum eorundem reſtitutione, membris, quæ olim defuerant, redintegratis:

β) & in corporum eorundem cum animabus iisdem conjunctione perſonali.

§. VII. Reſurrectionis mortuorum *finis proximus*, reſpectu fidelium, eſt plenus æternæ beatitudinis uſus, reſpectu infidelium damnationis conſummatio 2. Cor. 5, 10. *ultimus* vero gloria divinæ juſtitiæ 2. Theſſ. 1, 6. 7. ſeqq. Vid. meine Rel. Pred. p. 461. ſqq.

§. VIII. Quod ad ſtaturam, conditionem & ætatem, reſurgentium attinet, ſciamus oportet,

α) omnes omnino homines eadem, qua ceciderunt, ſtatura atque ætate eſſe reſurrecturos Apoc. 20, 12. Conf. beati *D. Henr. Opitii* diſſertatio *de ſtatura & ætate reſurgentium*, & celeb. *D. Conr. Melii* Herold der Ewigkeit pag. 36.

β) unumquemque in ſuo ſexu eſſe reſurrecturum. Vid. *diſſert. cit.* §. 31. 32. 33.

γ) fore, ut integritas membrorum in impiis & in ignominiam & in pœnam cedat. Vid. *cit. diſſert.* §. 39.

δ) idem

δ) idem numero corpus, quod morientes homines depoſuerunt, eſſe reſurrecturum. Conf. celeb. *D. Jo. Georgii Walchii* diſſert. *de ſtatu mortuorum & reſurgentium* cap. 3. §. 7. ſeqq. Conf. *b. D. Henr. Wideburgii* ſyſt. *theol. poſit.* p. m. 124. ſqq. & meine Rel. Pred. p. 470.

ε) formam reſuſcitatorum corporum nihilo ſecius fore organicam. Vid. *diſſert. jam cit.* cap. 3. §. 5. 6.

§. IX. Hæc de reſurrectione mortuorum doctrina *primo* comprobat Chriſtianæ religionis præſtantiam, quæ ſolatii longe eſt pleniſſima, ita, ut ratio non poſſit non demiſſe eandem admirari: *deinde* excitat nos ad reſurrectionem ſpiritualem a peccatis Eph. 5, 14. Apoc. 20, 6. *tum* amaritudinem mortis repellit 1. Theſſ. 4, 13. ſeqq. *præterea* ad ſanctificationem corporum noſtrorum nos impellit Rom. 8, 11. nec non ad honeſtam corporum humanorum ſepulturam 1. Cor. 15, 37. & *denique* dulciſſimum ægris & infirmis præbet ſolatium, quibus hac in vita cum variis morborum generibus fuit conflictandum. Conf. *b. D. Buddei* diſſert. *de uſu myſt. fid. in praxi vitæ Chriſt.* §. 13.

LIBER VI.
SECT. II.
CAPVT III.
DE
JVDICIO EXTREMO ET CONSVMMATIONE SÆCVLI.

Σύνοψις.

Judicii extremi definitio, §. 1. judex, §. 2. judicii objectum, §. 3. forma, §. 4. norma, adsessores & ministri, §. 5. finis, §. 6. consequens, §. 7. 8. usus hujus doctrinæ, §. 9. 10.

§. I.

Judicium extremum est actus solemnis & publicus, quo Christus θεάνθρωπος, visibiliter comparens, angelos & omnes homines cum pios tum impios, secundum statum & opera, auctoritate divina juste judicabit, & piis plenam beatitudinem, impiis vero & angelis malis consummatam damnationem adjudicabit, in gloriam divinæ sapientiæ, potentiæ, veracitatis atque justitiæ.

§. II. Judex erit filius DEI θεάνθρωπος: qui enim fuit legis in monte Sinai lator

Act. 7,

Act. 7, 30. 35. 38. idem etiam erit legis executor Act. 17, 31. Jo. 5, 22. Adventus ejus ad judicium erit glorioſus Dan. 7, 9. ſeqq. Matth. 25, 30. 31. repentinus Luc. 21, 34. ſeq. 2. Petr. 3, 10. piis acceptus Tit. 2, 13. impiis vero horribilis Apoc. 6, 16. Quando dies judicii venturus ſit, præſciri a nobis noluit DEUS Marc. 13, 32. veruntamen ſigna propria eum antecedent, nimirum

α) ruina Papatus 2. Theſſ. 2, 3. 4. 8. Apoc. 17. & 18. Jer. 51, 63. ſq. Ezech. 28, 19.

β) inſignis converſio gentilium & Judæorum Rom. 11, 23. ſqq. Hoſ. 3, 3. 4. 5. Mich. 4, 1. ſqq. Ezech. 37, 25. ſqq.

γ) magna quies eccleſiæ Apocal. 20, 1 - 7.

δ) bellum Gogi & Magogi Apocal. 20, 7. ſqq.

ε) ultima tempora. Conf. *b. D. Henr. Widebur-gii* ſyſt. theol. poſit. p. m. 132. ſqq. & meine Rel. Pred. p. 487. ſq.

Præter hæc futura eſſe certa & indubia, eaque proxima, ſigna extremi judicii jam jamque adventuri, recte negavit *b. D. Jo. Reinh. Ruſius* in diſſert. *de Judæa miraculis Chriſti clara* p. 53. propter luculenta dicta, quæ Matth. 24, 43. & 2. Petr. 3, 10. exſtant.

§. III. Extremi judicii objectum

α) *materiale* erunt angeli mali Matth. 8, 29. 2. Petr. 2, 4. Judæ v. 6. & omnes homi-

nes cum pii tum impii Rom. 14, 20. 2. Cor. 5, 10. 1. Theſſ. 4, 15. 16. 17. hominumque omnia facta Kohel. 12, 14. omnia verba Matth. 12, 36. Judæ v. 15. omnia cogitata 1. Cor. 4, 5.

β) *formale* ex parte piorum eſt fides, ex parte impiorum incredulitas, quarum utraque operibus hac in vita manifeſtata eſt, Matth. 25, 35. 36. 42. 43. Apoc. 20, 12. 13.

§. 4. Judicium ipſum diſtingui ſolet in

α) *judicium diſcuſſionis*, quo, ut judicandis juſti judicii ratio pateat, opera occulta pariter atque manifeſta cum convictione interna conſcientiæ protrahentur in lucem. Piorum tamen peccata, licet iis, ut gratiam divinam celebrent, in memoriam ſint reditura, non publicatum iri, cum *Gerhardo*, *Dannhauero*, *Bebelio*, *Baiero* & *Buddeo* credo, nixus manifeſtis ſacræ ſcripturæ dictis Jer. 31, 34. Mich. 7, 19. Jo. 3, 18. Rom. 8, 1. 6, 7. Luc. 21, 28. Conf. beati *D. Bebelii* diſſert. *de pecc. elect. in jud. extr. non publicandis.*

β) & *judicium retributionis*, quo ſententia cum damnans tum abſolvens pronuntiabitur Matth. 25, 34. 41. 2. Theſſ. 1, 7. ſeqq. quam pronuntiationem ſtatim ſequetur ſententiæ exſecutio Matth. 25, 46.

§. V.

§. V. Norma judicii respectu piorum erit evangelium Matth. 25, 34. respectu impiorum lex evangelii luce collustrata Jo. 12, 48. Adsessores vero & ministri judicis erunt homines sancti, Matth. 19, 28. 1. Cor. 6, 2. & angeli boni Matth. 25, 31. 1. Thess. 4, 15.

§. VI. Finis judicii extremi est gloria divinæ sapientiæ, potentiæ, veritatis, gratiæ atque justitiæ, 2. Thess. 1, 10. Ps. 9, 18. Gen. 18, 25. 1. Petr. 4, 5. Typus extremi judicii legitur Deuter. 27, 12. 13. coll. Matth. 25, 34. 41. Tempus vero judicii novissimi incertum est Matth. 24, 36. Marc. 13, 32. 1. Thess. 5, 1. 2. Totius hujus de judicio extremo doctrinæ illustrationem invenies in meinen Rel. Pred. p. 479. sqq.

§. VII. Peracto judicio statim mundi sequetur interitus seu *consummatio saculi*. Male igitur beatus *D. Leonhardus Hutterus* in *theologiæ compendio* ab se edito mundi interitum præponit extremo judicio: qui fortasse verba Servatoris Luc. 21, 25. sqq. *de signis finis mundi* exposuit; quam opinionem vulgarem solide confutarunt *D. Zeltnerus* & in *gloss. Bibl.* & in pec. *disput.* & *D. Rusius* harm. evang. tom. 3. p. 381. sqq. Præ-

tantissimorum theologorum, *Gerhardi, Seb. Schmidii*, aliorumque ductum secutus ego, mundi interitum post judicium demum fore, doceo.

§. VIII. Alii mundi interitum in ipsius substantiæ destructione collocant; quam sententiam beatus theologus Argentoratensis, *D. Bernh. Wagnerus*, in peculiari libello *de fine mundi*, defendendam sibi sumsit, nixus dictis 2. Petr. 3, 7. sqq. Apoc. 20, 11. 21, 1. Videatur quoque clarissimi *D. Jo. Herm. Benneri* diss. *de exustione mundi suprema*, & celeb. D. *Nieuwentyti* lib. cit. p. m. 487. sq. *Alii*, mundum non in nihilum redactum iri, sed transmutatum & innovatum iri, seu nobiliore natura & excellentioribus dotibus instructum iri, contendunt, urgentes

α) *expressa sacri coaicis loca* Jes. 65, 17. Ps. 102, 27. 2. Petr. 3, 13. Hebr. 1, 10. 11. 12. Apoc. 12, 1.

β) gemitum & liberationem creaturæ Rom. 8, 18. sqq. i. e. totius hujus universi, vanitati subjecti: nam sublata caussa, peccato, tolletur effectus, nempe mundi corruptio, restituta perfectione.

γ) *gloriæ divinæ amplificationem*, quam fieri existimant per conservationem substantiæ admirandi hujus mundi systematis

matis; cujus destructionem cum summi Numinis sapientia pariter atque bonitate conciliare haud posse sibi videtur sana ratio:

v) argumenta *Jo. Raji*, Angli, in peculiari dissertatione demonstrata.

x) *auctoritatem beatissimi D. Martini Lutheri*, cujus verba in pericopam epistolicam Domin. IV. p. Trinit. in der Kirchen-Postille sunt utique lectu dignissima. Conf. celeb. *D. Langii* œcon. *salut. evang.* p. m. 481.

Aliis illa sententia veritati quam proxime videtur accedere, quæ statuit, mundum quidem *essentialiter* periturum esse per ultimam illam *conflagrationem*, non vero *totaliter* per ipsius substantiæ *annihilationem*, e. g. celeb. *D. Godofr. Hofmanno* in *Theol. Dogm.* p. m. 1080. Conf. *b. Jo. Chr. Wolffii* Cur. Philol. in 2. Petr. 3, 13. & 1. Jo. 2, 17.

§. IX. Hæc de extremo judicio mundique interitu doctrina excitat animum nostrum ad dignam præparationem Kohel. 11, 9. Act. 24, 25. 2. Petr. 3, 11. 12. 14. 1. Jo. 3, 28. mentem nostram munit adversus futiles futilium scurrarum cavillationes Ezech. 12, 21. 22. 23. Apoc. 22, 12. & illis jucundissimum præbet solatium, qui in justificatione pecca-

peccatorum adepti sunt remissionem Jo. 3, 18. I. Cor. I, 7. Tit. 2, 13, ac denique nos avocat ab amore vanitatum mundi I. Jo. 2, 15. seqq. I. Cor. 7, 31. 2. Cor. 4, 18.

§. X. Et hac ratione ad finem perductæ sunt dogmaticæ theologiæ institutiones: quas ut supremum Numen ecclesiæ suæ salutares ac fructuosas esse jubeat, grata ac pia mente obsecro. Is certe meum amabit *candorem*, qui lector erit *candidus*.

Felix, qui recta vult verum dicere fronte,
Qui non mordaces invidiamve timet,
Qui colit auctorem mundi: dum vera patescunt,
Augetur pietas officiosa DEO.
Qui pius est facto, cui sunt cœlestia curæ,
Ex studiis istis præmia magna feret.

Supra *p. 90.* litteræ *aut b* legendæ sunt *ut ab*

* * *

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO

DE

CHARACTERVM SPONSORIS GENERIS HVMANI, QVOS THEOLOGIA NATVRALIS INDICAT, VSV IN THEOLOGIA REVELATA

QVAM

IN INCLVTA NORICORVM ACADEMIA

PRO LICENTIA

SVPREMOS IN THEOLOGIA HONORES ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CAPESSENDI

AD DIEM XXIII. MAJI A. M DCC XL.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINE SVBJECIT

M. LAVRENT. REINHARDVS

SERENISSIMI SAXONVM DVCIS VINARIENSIS

ECCLESIASTES IN TEMPLO METROPOLITANO ET IN ILL. GYMN. S. THEOL. HIST. ET MOR. P. P.

ITEMQVE SOCIETATIS LATINÆ JEN.

ET TEVTON. GOETT. SODALIS.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857208587/phys_0369

DFG

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

ERNESTO AVGVSTO

DVCI SAXONIÆ

JVLIACI CLIVIÆ MONTIVM ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ LANDGRAVIO THVRINGIÆ MARCHIONI MISNIÆ PRINCIPALIS DIGNITATIS COMITI HENNEBERGIÆ COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ DYNASTÆ RAVENSTEINII

SACRATISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS EQVESTRIS MILITIÆ DVCI BINARVMQVE LEGIONVM CHILIARCHÆ

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857208587/phys_0370
DFG

ORDINIS
EQVITVM VIGILANTTIÆ
CONDITORI
PATRI PATRIÆ
INDVLGENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO SVO
LONGE CLEMENTISSIMO
PROSPERRIMA QVÆVIS
PIE PRECATVR
TANTOQVE PRINCIPI
HOC SPECIMEN
INAVGVRALE THEOLOGICVM

D. D. D.

AVCTOR
LAVRENTIVS REINHARDVS.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857208587/phys_0371
DFG

I. N. J.

PROOEMIVM.

Insignis est doctrina de characteribus sponsoris generis humani, quos Theologia naturalis indicat. Præcipue illam ante me explicuerunt b. D. JOANNES MVSÆVS *& celeberrimus Reformati cœtus doctor* SALOMO VAN TILL. *Ipse ego de eadem exposui in* institutionibus theologiæ naturalis *part. 2. cap. 3. §. 5. p. 56. sq. item in* institutionibus theologiæ dogmaticæ, *cum luculenta præfatione summe venerabilis* JO. GE. WEBERI *editis, lib. 1. cap. 1. §. 23.* edit. secundæ, *nec non in* præparatione evangelica *part. 1. cap. 3. §. 11, 12. pag. 48. sq. Post me de hac doctrina illustranda solliciti fuerunt viri celeberrimi* JO. PETRVS REVSCHIVS *&* JAC. CARPOVIVS. *In hoc autem* specimine inaugurali theologico *ita de characteribus sponsoris generis humani, quos Naturalis Theologia indicat, differam, ut simul eorum usum*

usum in Theologia Revelata commonstrem. Qua de re hocce schediasma in binas semet ipsum dispescet sectiones: *quarum* prior *ipsos illos exhibebit characteres;* posterior *vero usum eorumdem in Revelata Theologia ob oculos constituet. Faxit DEVS O. M. ut & hæc dissertatio ecclesiæ Christi adferat utilitatem!*

SECTIO I.
DE
CHARACTERIBVS SPONSORIS GENERIS HVMANI, QVOS THEOLOGIA NATVRALIS INDICAT.

§. I.

Homo peccator, sanæ rationis ductum sequens, haud difficulter intelligit, placationem DEI gratiæque divinæ recuperationem non esse impossibilem: dummodo

α) summi judicis læsi infinitæ justitiæ satisfactio præstetur infinita, ut decenter reconciliari, contractosque reatus, salvis suis perfectionibus, expungere, queat.

β) anima salvandi peccatoris, post contractam corruptionis maculam, expurgetur, ut hic feliciter cum sanctissimo DEO uniri possit atque conjungi. Namque sanctitas divina non potest admittere hominem ad beatam sui communionem, nisi justificatum per satisfactionem sponsoris fide adplicatam.

§. II. Hasce solatii pleniſſimas meditationes statuminat consideratio sapientiæ, tolerantiæ, benignitatis, & misericordiæ divinæ; qua ad tranquillandum tristem peccatoris animum nihil dici potest adcommodatius.

§. III. *Sponsor* generis humani, in locum peccatorum substituendus, *primo* debet esse homo: exigit enim divina justitia, ut peccata in ea natura expientur, in qua fuerunt commissa.

§. IV. *Deinde* sponsor seu vicarius generis humani debet esse homo peccati reatu maculisque non contaminatus, atque peccatorum numero exemtus: alias enim ipse ad supplicia rapiendus, & suo nomine pœnæ reus esset, ideoque loco generis humani pœnam sufferre haud posset.

§. V. *Tertio* sponsor debet esse voluntarius atque spontaneus humani generis vicarius:

carius: nemini enim invito pœna, pro aliis ſubeunda, juſte imponi poteſt.

§. VI. *Quarto* debet eſſe ſponſor ſui juris, antequam ſeſe aliorum loco ſiſtere poſſit: qui enim ſub aliena conſtitutus eſt poteſtate, neque ſummo jure in vitam ſuam gaudet, ei non competit facultas pro aliis ſeſe tradendi.

§. VII. *Quinto* infinitæ ſupremi Numinis juſtitiæ, hominum peccatis læſæ, ſponſor debet infinitam præſtare ſatisfactionem. Si hoc; neceſſe eſt,

α) ut polleat infinito intellectu:

β) ut habeat miſericordiam infinitam:

γ) ut gaudeat potentia infinita, quo infinitum valorem habeat ipſius ſatisfactio.

§. VIII. *Denique* ad ſponſoris ſatisfactionem pœnalem vicariam requiritur, ut in hunc transferantur crimina aliena, utque pœnæ perſolutio, a ſponſore peracta, cedat in abſolutionem debitoris, ſatisfactionem præſtitam fide ſibi adplicantis. Namque factum alterius per moralem imputationem nobis imputari nequit ſine conſenſu noſtro & in factum & in imputationem.

Idcirco satisfactio sponsoris vicaria non potest homini peccatori imputari eique in salutem cedere, nisi ipse in satisfactionem illam, ejusque imputationem, sibi a DEO impertiendam, consentiat, id est, nisi illam pro se præstitam esse credat, sibique a DEO imputari cupiat. Conf. VLRICI HVBERI lib. I. sect. 4. cap. 6. *de jure civitatis* p. 142. sqq. editionis *Thomasianæ*, & libellum meum Beweiß, daß die Bibel GOttes Wort sey, cap. 6. §. 4. sqq.

§. IX. *Angelus* non potest esse talis sponsor, cum neque humanam naturam habeat, neque satisfactionem præstare possit infinitam. *Homo* peccato infectus ab obligatione ad pœnam pro suis peccatis sufferendam non est immunis; neque par est præstandæ satisfactioni infinitæ. Cum igitur inter creaturas rationales nulla nobis occurrat, in qua enarrati characteres conspiciantur: sana autem ratio ex adsidua commemoratorum characterum contemplatione concludat, *sponsorem generis humani esse debere* θεάνθρωπον; simul veri longe simillimum judicat, DEVM talem sponsorem in peculiari divina revelatione indicasse. Peculia-

culiarem vero divinam revelationem neceſſario exſiſtere, præter naturalis theologiæ defectus, alibi (*) a me commemoratos, arguunt ſupremi Numinis bonitas ac miſericordia, ſapientia ac ſanctitas, majeſtas (**) ac gloria eſſentialis.

§. X. Talem ſponſorem nobis igitur ſiſtit divina revelatio V. & N. T. in JESV NAZARENO, generis humani ſalvatore certiſſimo. Exſplendeſcit in eo

α) *character primus.* Rom. IX, 5. Luc. 1, 30. ſqq. 2, 6. 7. Matth. 1, tot.

β) *character ſecundus.* Hebr. 7, 26. 27. 28. Jeſ. 53, 4. 9. Joan. 8, 46. 2. Cor. 5, 21. 1. Petr. 2, 22. ſqq.

γ) *character tertius.* Pſalm. 40, 8. 9. Luc. 18, 31.

δ) *character quartus.* Joan. 10, 12. 15. 17. 18.

ε) *character quintus.* Joan. 19, 30. Matth. 3, 17. 2. Petr. 1, 17. Hebr. 7, 24. 25. 2, 10. 11. V, 9.

ζ) *character ſextus.*

(*) in libello meo, qui inſcribitur: Uberzeugender Beweis von der Gewißheit und Unvollkommenheit der natürlichen Religion, cap. 8. p. 61. ſqq.

(**) Vid. celeb. *Jo. Alphonſi Turretini* Opuſc. varii generis, tom. 2. p. m. 180.

ℵ) 2. Corinth. 5, 21.
ב) 1. Petr. 2, 24.
ג) Roman. 5, 10.

SECTIO II.
DE
VSV EXPOSITORVM CHARACTERVM IN THEOLOGIA REVELATA.

§. I.

Generatim expositi characteres confirmant thesin cardinalem ac fundamentalem totius religionis Christianæ, quæ adserit, *JESUM Nazarenum verum esse Messiam*: sicque Christianam religionem luculenter stabiliunt, ejusque præstantiam reddunt plane illustrem. Simulque necessitatem pluralitatis personarum in divina essentia & mysterii sacrosanctæ Trinitatis demonstrant. Nam læsus hominum judex, ut judex, non potest simul esse mediator inter DEVM & homines.

§. II. Speciatim *primus character* ob oculos nobis constituit

α) indolem egenam cultus Levitici, & rationem typicam sacrificiorum V. T.

β) ne-

β) necessitatem incarnationis filii DEI.

γ) genuinum sensum dicti Biblici maxime illustris Psalm. 40, 7. 8. coll. Psalm. 51, 18. Hebr. 10, 5.

§. III. *Character secundus* oculis nostris exponit

α) nervum dictorum Biblicorum Genes. 3, 15. Jes. 7, 14. Luc. 1, 35.

β) dijudicationem ac decisionem controversiæ: *num massa, ex qua Christus progenitus est, in utero matris præservata, an purificata fuerit?* Nam posterior sententia priori præferenda est, judicibus *Luthero, Chemnitio, Gerhardo, Dannhauero, Calovio, Hülsemanno, Quenstedio, Hollazio, Walchio*, aliisque. Spiritus enim sanctus per ἐπέλευσιν suam sanctificativam particulam illam in utero Mariæ, ex qua humana Christi natura erat producenda, puram & sanctam effecit, adhærens peccatum abstergendo, ut fœtus ille humanus omnis labis ac peccati expers existeret. Luc. 1, 34. 35. Matth. 1, 18. 20.

γ) argumentum, ad refutandum errorem Pontificiorum *de puris naturalibus* satis validum. Brevitatis studio ductus verba b. D. GODOFREDI HOFFMANNI adscribo: *Si enim naturalis est homini concupiscentia carnis ante & extra peccatum, necessum est, ut etiam Christo tribuatur, quippe qui naturalia omnia adsumsit, nobisque per omnia si-*

milis factus est, excepto peccato. At, quis tribuat carni Christi proclivitatem ad vitia, citra manifestam blasphemiam? in dissertatione *de præcip. Pontific. erroribus circa doctrinam de imagine DEI*, cap. 2. §. 2. pag. 9. 10.

§. IV. *Character tertius* prædicat nobis insignem amorem Filii DEI in genus humanum, quo ductus redemtionis hominum opus in se suscepit Joan. 3, 16. 1. Joan. 4, 9. 10. 11. Coloss. 1, 19. 20. Luc. 1, 78. Ephes. 5, 2. 25. Ideoque primum memoratu hic dignissimus est adventus ejus in carnem spontaneus Psalm. 40, 8. Jes. 48, 15. 16. Deinde commemorari quoque meretur fœdus, quod Filius DEI, mediationem inter DEUM hominesque in se suscipiens, cum DEO Patre ab æterno iniit, cum de restituenda hominum salute in secreto sacrosanctæ Trinitatis consilio (*) ageretur. Vnde Messias *a DEO datus* dicitur Jes. 9, 6. 42, 6. Joan. 4, 34. Rom. 8, 32. coll. Hebr. 7, 22. 8, 6. Denique recte inde colligimus, Christum redemtione sua spontanea funda-

(*) Conf. illustris *Samuelis L. B. de Pufendorf* Jus feciale divinum §. 46. & celeb. *Mosis Amyraldi* diss. *de œcon. trium person. in operibus divinis* §. 25. 26.

fundamentum posuisse œconomiæ gratiæ; id quod luculentissime demonstrat beatus JOANNES FRICKIVS in dissert. *de divinitate Christi ex œconomia gratiæ demonstrata* cap. 2. §. 8. p. m. 22. 23.

§. V. *Character quartus* confutat stultitiam scurrarum, qui clamitant, sponsionem & redemtionem Christi tum DEO Patre tum Filio DEI fuisse indignam. Nam

1) Filius DEI sine ulla injuria tam sponsionem in se potuit suscipere:

α) quia vitæ suæ ita fuit dominus, ut absolutam in eam habuerit potestatem, absolutumque imperium Joan. 10, 18,

β) quia sic eximiam & incomprehensibilem caritatem tam erga DEI gloriam quam erga salutem hominum demonstravit. 2. Cor. 13, 13.

γ) quia humana ejus natura, hypostatice cum persona divina unita, post maximos quidem, sed brevis temporis, dolores ad plenum majestatis divinæ usum evecta est. Ephes. 4, 9. 10. 11.

δ) quia omnem justitiam implere, & tantæ dignitatis obedientiam præstare, potuit, ut obedientiæ omnium hominum plus quam æquivalens sit. Matth. 3, 15. 5, 17.

2) DEO Patre utique dignissimum fuit, sponsionem hanc Filii sui tum procurare tum acceptare. Nam DEO nihil dici potest dignius, quam divinarum perfectionum gloriam modo glorioſissimo patefacere. Elucent autem in sponsione Filii DEI divina veritas, justitia, sanctitas, bonitas & gratia, itemque omnisufficientia. Quæ omnia liquido confirmasse mihi videor in *institutionibus* meis *theologiæ dogmaticæ* lib. 4. cap. 2. §. 27.

§. VI. *Quintus character* ostendit nobis

α) *satisfactionis necessitatem pro peccatis hominum:* quam tum ex indole hominis lapsi, tum ex justitia DEI essentiali, tum ex aliis argumentis, adversus Socinianos demonstravi in *breviario* meo *controversiarum cum Socinianis agitatarum.*

β) *operis redemtionis divinitatem.* Redemtionem autem Christi opus mere divinum esse, intelligimus

1) ex dicto clarissimo Psalm. 49, 8. seqq. Confer. b. D. MARTINI GEIERI & b. D. JO. HENR. MICHAELIS Commentar. in h. l.

2) ex scopo redemtionis, qui tendit ad destructionem regni Satanici, spiritualisque benedictionis reparationem, 1. Jo. 3, 8. Rom. 16, 20. Galat. 3, 13. Eph. 1, 3.

3) ex passionis Christi

γ) *gra-*

א) *gravitate* Jes. 53, 3. sqq. Quoniam ipse DEUS incarnatus pœnam pro hominibus subiit, neutiquam opus erat, ut *extensive* (seu durative) infinitam pœnam subiret, sed per pœnam *intensive* infinitam potuit satisfacere.

ב) & *glorioso ejusdem exitu.* Rom. 1, 3, 4.

§. VII. *Sextus character* confirmat doctrinam *de fide justificante & de imputatione meriti Christi.* Ex antiquioribus Theologis hoc tuiti sunt b. D. HENR. HOEPFFNERVS in dissertationibus *de justificatione*, & b. D. FRIDERICVS RAPPOLTVS in dissertatione sua inaugurali *de imputatione.*

§. VIII. Ex hactenus dictis cognoscimus, insignem esse usum eorum characterum sponsoris generis humani in Theologia Revelata, quos Theologia Naturalis indicat atque manifestat. Sicque perspicimus veræ theologiæ naturalis cum revelata nexum necessarium.

FINIS.

CO-

COROLLARIA EX THEOLOGIA

I. NATVRALI.

Æternitas mundi secundum genuina rationis sanæ principia est plane impossibilis.

II. DOGMATICA.

In Thetica Theologia exponenda ille ordo articulorum fidei systematicus est optimus, quem ego commendavi & sectatus sum in prolegomenis *meæ* Theol. Dogmaticæ *præmissis.*

III. PO-

III.

POLEMICA.

Qui ex adsumtione humanæ naturæ *pro divinitate Christi argumentum petunt contra Socinianos, & arduo & præclaro labore funguntur.*

IV.

EXEGETICA.

Nemo boni Bibliorum interpretis laudem sibi vindicare potest, nisi probe calleat Theologiam Patriarchalem.

V.

MORALI.

Cum Theologia Morali Mystica theologia purior *nexum habet necessarium.*

VI.

HOMILETICA.

Illæ orationes sacræ & prosunt & delectant, in quibus propositio *ex verbis* præloquii, *sed* partitio *ex verbis* exordii, *depromitur: in quibus denique* usus *singuli* dictis mnemonicis *confirmantur.*

VII.

CATECHETICA.

In explananda Oratione Dominica *discrimen omnium ac singularum* petitionum *recte ostendere, non ultima laus est.*

VIII.

EX JVRE ECCLESIASTICO.

In concedendis ac decernendis divortiis, *Consistoriales regulas* justitiæ *præclare discernunt a regulis* prudentiæ.

S. D. G.

in hominem mi-
ſt; *conſequens* in
nus aut fidelis eſt
37. 1. Tim. 2, 6.
46. Conf. beati
p. 3. ſqq.
enevolentia DEI

, cupidam ſalutis
n. 33, 1. Rom. 11, 32.
adverſariorum re-
ib. cit. p. 10. ſeqq.
le gratia DEI uni-
guſtiſſimi potentis-
FR. WILH. man-

mediatoris Chriſti
Rom. 5, 8. Joan.

ſalutis, quibus ſa-
& vires credendi
untur, ut Chriſti
ueant. Act. 17, 31.
19. Zach. 9, 10.
). Tit. 2, 11. Vid.
ſqq.
EI erga miſeros

2, 8.

γ) ſe-